DIOECESANA

SYNODUS

Ab Illustriss. & Reverendiss: D.

D. JO. BAPTISTA BASSO

ANAGNIÆ EPISCOPO,

ET TERRÆ ACUTI DOMINO

Celebrata in Ecclesia Cathedrali

Diebus XXV. XXVI. & XXVII. Junii
Anni MDCCXIII.



ROMÆ, MDCCXVI.
Typis Joannis Mariæ Salvioni
In Archigymnasio Sapientiæ.
SUPERIORUM PERMISSU.

EDICTUM

INDICTIONIS SYNODI

JOANNES BAPTISTA BASSUS

Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Anagniæ, & Dominus Terræ Acuti.

SYNODUM Diœcesanam ab annis viginti octo non coactam, Præsulatus nostri quinto recurrente anno, Deo adjuvante, juxta Sanctorum Patrum Instituta, ac Concilii Tridentini præcepta habituri, nè fructus ille, quem ex præcedentibus binis nostris generalibus Diœcesis Visitationibus, Divina opitulante Misericordia percipere curavimus, perire contingat: Monemus in Domino, ac pœnis Sacrorum Canonum, seu aliàs ad arbitrium no-

ſtrum infligendis jubemus in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus, & ſingulis in Civitate, & Diœceſi noſtrâ Beneficia etiam ſimplicia, ſeu quocumque alio titulo obtinentibus, eis item ſacris Ordinibus initiatis, cæteriſque etiam in minoribus Ordinibus conſtitutis, Regularibus curam exercentibus animarum, vel aliàs noſtræ Juriſdictioni delegatæ vigore Concilii, & Apoſtolicarum Conſtitutionum, ſeu Decretorum ſubjectis: Capitulum autem noſtrum peramanter invitamus, alia Collegiatarum Eccleſiarum Capitula vocamus, & aliis quibuſcumque, qui de Jure, vel Conſuetudine Synodo hujus Diœceſis intereſſe debent, præcipimus, quatenus die Dominica tertia poſt Pentecoſten, quæ erit vigeſima quinta in-

instantis mensis Junii, quam pro Synodo inchoanda signanter indicimus in nostram Cathedralem Clericali talari habitu induti, & aliis Insignibus, ac indumentis, eorum muneribus, & Ordinibus respectivè congruentibus instructi, summo-mane conveniant, neque verò pro se alios mittant, nisi qui legitimo aliquo impedimento coram Nobis probando detenti; ut Divino auxilio suffulti, communi studio, & consilio ea statuamus, quæ ad Animarum salutem, Clerique disciplinam, & Divini cultus incrementum, totiusque Diœcesis reformationem, & regimen pro temporum ratione pertinent. Ut autem id exactiùs ad Omnipotentis Dei laudem, & gloriam explere valeamus, omnes enixè in Domino obsecramus, ut je-

jejunio, & orationibus à Patre luminum Nobis impetrent, & seipsos Deo acceptabiles Hostias exhibeant. Quapropter singulis Parochis die Dominica Synodum præcedente in suis Ecclesiis Sanctissimum Sacramentum per aliquas horas ad ostiolum Tabernaculi decenter in Pixide retentum exponi mandamus, hortando Populos suos ad sacras Confessiones, & Communiones, & præsertim Clericos, ipsique Parochi in feria quinta, vel alia die, duplici non impedita, Missam de Spiritu Sancto celebrent, vel saltèm Collectam dicant, & in festis diebus ante Synodum occurrentibus Litanias Sanctorum ante Missam Parochialem cum Populo recitare non omittant, & singulis Personis utriusque sexus in locis Dioece-

ce-

cesis functionibus hujusmodi intervenientibus, Indulgentiam 40. dierum in forma Ecclesiæ consueta impertimur; omnesque tam Vicarii Foranei, quàm Parochi, Beneficiati, Confessarii, cæterique ad Synodum accessuri secum deferant Bullas eorum Beneficiorum, ac litteras patentes ad excipiendas Confessiones, nobisque in scriptis significent ea omnia, quæ ad correctionem, seu ad salutare Cleri, & Populi regimen opportuno remedio indigere prænoscent, ad hoc ut si, & prout in Domino expedire videbimus, providè consulamus, ut ita publicis precibus ad hanc grandem actionem obeundam adjuvemur. Volumus autem, ut hæc Synodi Indictio affixa valvis Ecclesiæ Cathedralis, nec non Parochialium

Dioe-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Card. Caracciolus Archiep. Capuæ Pro-Vic.

Reverendiſs. D. Abbas Cuggiò videat, & referat.

Fr. Gregorius Selleri Ord. Prædic. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

ANAGNIÆ Synodum ab Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. JOANNE BAPTISTA BASSO ejus Præſule juxta Patrum Inſtituta celebratam, non ſemel de mandato Reverendiſs. P. Gregorii Selleri Sac. Pal. Apoſt. Magiſtri attentè perlegi, in eaque nil niſi Sacris Canonibus, præſertim Sac. Conc. Trid. Decretis, ac Apoſtolicis Sanctionibus conſonum deprehendi; In ipſius verò Decretis zelus cum ſcientia ſoliciti Paſtoris emicat, qui ad in-

ſtaurandam morum diſciplinam, ad evellendos abuſuum vepres, ac alia, quæ in Agro Dominico dictæ Diœceſis ſuperſeminavit inimicus homo, & parandam Domino concreditam ſibi Plebem perfectam omnibus nervis connixus eſt; Ideoque ad ſingulorum, quorum intereſt, profectum, ut præ manibus, & oculis ſemper habentes tam ſalubria Decreta obſervare ſtudeant, luce publica laudatam SYNODUM dignam cenſeo. Hac die 21. Januarii 1716.

Nicolaus Ant. Canonicus Cuggiò Sac. Congregationis Indicis Conſultor.

IMPRIMATUR.

Fr. Gregorius Selleri Ord. Prædic. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

IN-

INDULGENZA PLENARIA,

E Remiſſione di tutti li Peccati.

LA Santità di Noſtro Signore Papa CLEMENTE XI. concede Indulgenza Plenaria, e remiſſione di tutti li peccati a tutti li Fedeli dell'uno, e dell'altro ſeſſo, che veramente pentiti, confeſſati, e communicati viſiteranno la Chieſa Cattedrale di queſta Città nel primo giorno, in cui ſi comincerà, & anco in tutti gli altri ſeguenti, che ſi celebrerà attualmente il primo noſtro Sinodo, e che in uno di eſſi giorni ivi pregheranno divotamente per la concordia de' Prencipi Criſtiani, eſtirpazione dell'Ereſie, & eſaltazione della Santa Madre Chieſa, come coſta dal Breve ſpedito ſotto li 17. Ottobre 1708.

Volendo Noi dunque coll'ajuto, e benedizione del Signore Iddio convocare in detta Chieſa il primo noſtro Sinodo nella Domenica terza dopo la Pentecoſte, che ſarà alli 25. dell'imminente Giugno con li due ſeguenti, eſortiamo tutti li Fedeli all'acquiſto d'un tanto teſoro, & a pregare non ſolo per gli effetti ſudetti, ma ancora, affinchè rieſca con frutto la detta pia, e celebre funzione. Dato in Anagni dal noſtro Palazzo Veſcovale queſto dì 14. Maggio 1713.

Gio; Battiſta Veſc. d' Anagni.

GREGORIO CANONICO LAURI,

Di Sagra Teologia, e dell'una, e l'altra Legge Dottore, Protonotario Apostolico, e dell'Illustriss. e Reverendiss. Monsignor Vescovo d'Anagni Vicario Generale.

D*Ovendosi nel prossimo giorno di Domenica 25. del corrente Mese dar principio al* Sinodo Diocesano *alle ore nove; con questo pubblico Editto, il quale affisso alla porta della Chiesa Catedrale, e negli altri luoghi soliti, vogliamo, che astringa ciascuno, a chi spetta, come se gli fosse personalmente intimato, si avvisa, & intima a tutte le Confraternite, e Religiosi de' Conventi di qualsivoglia Ordine, e Religione, situati tanto dentro, come fuori di questa Città, e a tutte le Persone Ecclesiastiche Beneficiate, e non Beneficiate, e Chierici ancora di prima Tonsura, che abitano in quest'istessa Città, obbligati di ragione, o consuetudine a intervenire al detto Sinodo; Che il detto giorno de' 25. del corrente alle ore dette, insieme con il Clero Diocesano, a tal'effetto radunato, si trovino nella Chiesa Parocchiale di S. Giovanni li Confratelli delle Compagnie con li suoi abiti, e Croci; I Regolari sotto le sue Croci; seguendo però tutti la Croce della Catedrale, con l'abito conveniente al suo Ordine, e le Cotte monde, per accompagnare la Processione generale, che si farà per principio del* Sinodo, *ad effetto d'implorare il Divino ajuto, perche la detta funzione riesca d'utile, e profitto a tutte l'Anime di questa Città, e Diocesi. Avvertendo, che contro li Contumaci, & Inobbedienti si procederà con pene pecuniarie, e respettivamente anco dell'Interdetto, secondo la qualità della trasgressione. Dato in Anagni dal Palazzo Vescovale questo dì 22. Giugno 1713.*

Gregorio Lauri Vicario Generale.

Ad Clerum Anagninum in Diœcesana Synodo congregatum 25. Junii 1713.

ORATIO

Habita à Reverendissimo D. Gregorio Lauri J. U. & Sacræ Theologiæ Doctore, Protonotario Apostolico, Canonico Pœnitentiario Ecclesiæ Cathedralis, & Vicario Generali.

QUam Aratrum non excolit terram, segetum ubertate viduatam, tribuli adoriuntur, & spinæ. Quem sarculi, ac falcis auxilio destitutum relinquimus hortum, amœnitate exulante, deformat horror ebullientium olerum, luxuriantium foliorum. Luget uvis orbata Vindemia, nisi in tramitum cultura desudet impigri Vinitoris solertia.

Non secus spe fructuum vacuum ingemiscimus Dominicum Agrum; Ecclesiæ hortum irriguum, & conclusum; Vineam Domini Sabaoth, quam plantavit dextera ejus, nisi sensim irrepentium vitiorum spinas avellere, obduratam cordium terram Euangelico ligone submovere, exuberantium desideriorum luxuriam correctionis falce amputare studeamus.

Veruntamen heu terreni stercoris cumulandi quàm exacta vigilantia! Cœlestis thesauri adipiscendi quàm resupina socordia! Eam lacrymis Claravallensi melle conditis amarè deflere libet: (a) *Quotidianas expensas quotidiano reciprocamus scrutinio, & innumera Dominici Gregis detrimenta nescimus: De pretio escarum, & numero panum cum ministris quotidiana discussio est; rara admodum cum Presbyteris celebratur collatio de peccatis Populorum.*

[a] *S. Bernard. de considerat. ad Eugen. lib. 4. Cap. 6. n. 21.*

 Ra-

Rara quidem collatio, nè rariſſimam dicam de Synodali hoc exoptato Conventu, quem per rerum turbas, ac viciſſitudines, non niſi octavo jam ſupra vigeſimum recurrente anno, licuit tandem Anagninæ huic Eccleſiæ complecti, & diſſita tandiu membra Capiti ſuo coaptata maternis brachiis amplexari. Expediamus igitur, fratres chariſſimi, in ſortem Domini vocati, ſarculos, vomeres, falces, ſi agro, horto, vineæ comparatur Populus nobis circumpoſitus, ut eum Fideles agricolæ excolamus. Laxemus (*b*) retia noſtra in capturam, ſi fecit nos Reparator humani generis (*c*) Piſcatores hominum. Expanſum eſt coram nobis (*d*) *linteum magnum, in quo ſunt omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia Cœli*: Surgamus, occidamus, & manducemus, ne quid commune, & immundum dehoneſtet oculos Domini.

(*b*) *Lucæ* 5. 4.
[*c*] *Math* 4. 19.
[*d*] *Act.* 10. 11.

Ad hoc poſiti ſumus Sacerdotes Dei, in Altaris ſervitium ſegregati miniſtri, non ad ſæcularia peragenda negotia, nè fortè Laicali ſtatu relicto, & Clericalia munia exequi detrectando, de unoquoque noſtrum dici contingat, quod de monacho à Senatorio ordine aſſumpto dicebat Baſilius: (*e*) *Senatorem perpendiſti, & Monachum non feciſti* (*f*). *Quid tibi cum mundo, qui major es mundo.* Nè vitæ, inquis, neceſſaria deſint, ſæcularibus immiſceris? Nonne (*g*) *hæc omnia adjicientur quærentibus primum Regnum Dei, & Juſtitiam ejus?* (*h*) Abundant panibus mercenarii in domo Patris, (*i*) *nunquid fame peribunt Operarii?*

(*l*) *Meſſis, quidem multa*, conqueritur veritas, *Operarii autem pauci* (*m*). *Meſſis, utique multa* ſubdit ille *& Sacerdotes multi, & mercenarii multi, ſed Operarii pauci*. Inhiant plerique ad Sacros Ordines, & Eccleſiæ dignitates, non ut gregem Domini paſcant, & ſub impoſito ſibi onere, Divina opitulante gratia de-

[*e*] *Apud Caſſianum de Spiritu Philarg. cap.* 29.
[*f*] *S. Cyprian.*
[*g*] *Luc.* 12. 31.
[*h*] *Lucæ* 15. 17.
[*i*] *Serm. ad Paſtores in Synodo congregatos inter opera S. Bernard. tom.* 2. *fol. m.* 297.
[*l*] *Lucæ* 10. 2.
[*m*] *Serm. eodem.*

desudent, sed ut ventri dediti, & inanis gloriolæ vanitate distenti, de Altari pascantur. Hinc (*n*) *quos instruunt verbo sanctæ prædicationis, destruunt exemplo pravæ operationis. Delicati magistri*, prosequitur Hieronymus, (*o*) *pleno ventre de Jejuniis disputant*; Trabem oculo infixam gestantes *declamatores, & Rabulæ*, (*p*) *garrulique sinè ratione*, festucam proximi nituntur eruere, ut ipsis dicatur (*q*) *Medice cura te ipsum*.

(*n*) *Ibidem*.

(*o*) *Lib.2. Epist. 12. ad Nepot. pag. m.203.*

[*p*] *Ibid pag. m. 205.*

[*q*] *Luc.4 23.*

Ingemiscit juremerito super hujuscemodi Pseudopresbyteris pia Mater Ecclesia, lacrymisque involuta conqueritur: (*r*) *Ecce in pace amaritudo mea amarissima*: Crevit siquidem ipsa hostilibus olim bellis dilaniata, deficit filiorum pravitate conculcata sibi reddita pace: unde (*ſ*) *amara amaritudo ejus in persecutione Tyrannorum, amarior in versutiis hæreticorum, in Clericorum relaxatione amarissima*.

[*r*] *Isai. 38.17.*

(*ſ*) *Serm. de quo supra.*

Condolet Christus Dominus Sponsæ suæ lacrymis: (*t*) *Extraneus* (*u*) *factus sum*, inquiens, *fratribus meis, & peregrinus filiis Matris meæ.* (*x*) *Versa est* siquidem *hæreditas ejus ad alienos, domus ejus ad extraneos*. Atque utinam non ad extraneos, & alienos tantùm, sed ad voraces quoque lupos, & rugientes leones, qui (*y*) circuunt quærentes quem devorent, versa non sit hæreditas Domini, è peccatorum pretio, & in pauperum patrimonium coacervata.

(*t*) *Psal.68.v.9.*

(*u*) *S. Aug. legit Alienatus.*

[*x*] *Thren.5.2.*

(*y*) 1. *Petr.5.8.*

Quis igitur gregem Domini custodiat, fratres charissimi, si in vestimentis ovium lupi dignoscuntur Pastores? Quis avertat hostium insidias, si obdormiunt vigiles, qui custodiunt Civitatem? Expergiscimini tandem, & illuminamini qui in tenebris, & in umbra mortis stertentes sedetis, ut aberrantium pedes dirigatis in viam pacis. Diffundatur aliquando Charitas Dei in cordibus Populi hujus per inhabitan-

tantem Spiritum ejus in eo. Id autem, qui fieri poterit, nisi Cleri, & Sacerdotum potissimùm pectora Cœlestis ille ignis adurat, quo ad purum excocta vitiorum scoria, Deo optimo maximo impollutum offerant Sacrificium tanquam aurum obrizatum, cujus fulgore incitata sæcularium etiam vota ad Cœlestium desideria pertrahantur.

Hæc optimè noscens ejus, qui nobis dignissimè præest pastoralis zelus, & vigilantia, Synodalem hunc cœtum, Ministrorum Christi præfulgentem Coronam in sacra hac Basilica colligi, atque disponi curavit, satis esse ratus ad erudiendum Populum, salutaribus Sanctionibus Clericalem Ordinem erudire. Eas proinde filiali obsequio, quas paternus dictavit amor, accipite, ut ad præclarè monitorum normam componantur depravati mores, & excutiatur mundanus pulvis, de quo compertum est, sæpe sæpius religiosa etiam corda sordescere. In his meditamini die, ac nocte; ut in meditatione hujusmodi exardescat charitatis ignis, quo in Dei obsequia, & proximi salutem inflammemur.

Hoc etenim præsignare voluit Moyses, qui in Sacerdotale ornamentum adhiberi jussit [z] coccum bis tinctum: *Quid namque per coccum*, ait Gregorius, (aa) *nisi charitas designatur, quæ semper flammâ amoris accenditur? Sed coccus bis tingitur, quando non solùm ex amore Dei, sed etiam proximi charitas inflammatur*. Utinam salubrium Decretorum auxilio, bis tinctæ purpuræ indumento, tanquam nuptiali veste conspicui, detur nobis in præsenti sæculo (bb), *& amare eos, cum quibus vivimus, & ad illum totis desideriis anhelare, in quo veraciter vivamus*: in futuro autem ad Agni nuptias accumbere, & non perituris epulis saturari. IN-

[z] *Exod. 27. v. 5. & 6.*

[aa] *Homil. 16. in Ezech. tom. 2. pag. m. 161. D.*

(bb) *S. Greg. ibid.*

INDEX CAPITUM

CONSTITUTIONUM SYNODALIUM.

PARS PRIMA

PARS SECUNDA

PARS

PARS TERTIA

PARS QUARTA

SY-

SYNODUS ANAGNINA

In Nomine Ineffabilis, & Individuæ TRINITATIS *Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Immaculatæ Virginis* MARIÆ *Deiparæ, & Sancti* MAGNI *Protectoris.*

JOANNES BAPTISTA BASSUS

Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Anagniæ, & Dominus Terræ Acuti

Univerſo Clero Anagnino in Domino congregato, ac populo ſuæ Paſtorali curæ demandato ſalutem, & benedictionem.

CAtholicæ Matris Eccleſiæ typum Petri Naviculam, Hæreſum, & vitiorum tempeſtatibus agitatam, & in hujuſce Babylonici exilii fluctibus periclitantem, ad tranquillitatis portum ſacroſancta potiſſimùm reducere ſtuduere Concilia: Divinâ ſiquidem ope à convenientibus in Domino Fratribus ferventiùs implorata Eterodoxorum venenis antidotum, effrænatorum æſtui refrigerium, vitiorum febribus pharmacum attulere. Huc etiam collimare ſatagit ſolicitudo noſtra, quæ Tridentini (1) mandatis obſequendo, animarum veſtrarum, quas paternis amplectimur viſceribus, indigentiis opportunè providere, eaſque

[1] Seſſ. 24. cap. 2. de reform.

que in Dei ſpiritu renovatas intueri ſummopere cupientes, dilectiſſimum hunc Cœtum, exoptatam apprimè Coronam, è totius Diœceſis noſtræ ſuavè olentibus floribus, ac frondibus compactam, in unum convenire diſpoſuit, ut unanimi conatu ſordida abluere, disrupta conſolidare, aſpera complanare, ſuperflua reſecare, frigida confovere quæramus: Non quidem humeris dilecti Gregis noſtri nova onera inducendo, ſed ejus potiùs memoriæ, ac primævæ obſervantiæ aliàs ſancita reducendo; nè morum depravatorum ſpinis, vigeſimo octavo jam labente ab ultima Diœceſana Synodo anno, ſuffocatum condoleamus in Dominico Agro pretioſum ſemen Patris-familias; nè mihi, quem, Divina, atque Apoſtolica diſponente clementia, poſuerunt cuſtodem in Vineis, contingat in amaritudine dicere: (2) *Vineam meam non cuſtodivi.*

(2) *Cant.1.v.6.*

CON-

CONSTITUTIONUM SYNODALIUM

PARS PRIMA

CAP. I.

De Fide Catholica, ejusque Professione.

FIdem (1), humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radicem omnis juſtificationis, (2) ſinè qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad filiorum ejus conſortium pervenire, non ſolùm toto corde ſemper tenendam, & amplectendam, ſed exteriùs etiam quandoque confitendam nemo ambiget, qui memor ſit verborum Apoſtoli: (3) *Ore confeſſio fit ad ſalutem*; imò oraculorum Chriſti, (4) *Qui me erubuerit, hunc filius hominis erubeſcet*: (5) *Qui me confeſſus fuerit, confitebor & ego eum*.

(1) *Trident. ſeſſ. 6 cap. 8. de reform.*

(2) *Ad Hebræos 15.*

[3] *Ad Rom. 10.*

(4) *Luc. 9.*

(5) *Matth. 10.*

II. Quare fidei profeſſionem emittere præcipimus ad formam diſpoſitionis Sacri Concilii Tridentini, & Conſtitutionis S. M. Pii Papæ IV., &

juxta formulam in eadem Constitutione contentam, & inferiùs registrandam, omnes de Cathedrali nostra, quos de Dignitate, Canonicatibus, aut Beneficiis residentialibus denuò provideri contigerit, tum coram nobis, aut Vicario nostro Generali, tum etiam coram Canonicis capitulariter congregatis, & Sede Vacante coram Vicario Capitulari; (6) Ordine non necessariò servato, coram quo priùs, aut posteriùs emittatur; Neque coram nobis, aut Vicario nostro repetenda, quatenus Capitulo interfuerimus, dum emitteretur. (7) Eidem etiam obligationi Fidem coram nobis, aut nobis impeditis, coram Vicario nostro profitendi subjectos declaramus Beneficia Curata obtinentes cum Cura tamen actuali, & non habituali tantùm. Item Concionatores, publicos Lectores, Ludimagistros, etiam à laicorum communitatibus nominatos, qui ulteriùs erunt à nobis, quoad scientiam examinandi, & quoad mores probandi, nec non cæteri in eadem Constitutione Pii Papæ IV. expressi (8).

III. Quæ quidem Professio à singulis supradictis intrà duos saltèm menses à die adeptæ possessionis per se ipsos, & non per interpositum Procuratorem emittenda erit, etiamsi eadem professione prima vice emissa ad alium Canonicatum, seu Dignitatem, vel ad aliam Parochialem promoveatur, saltèm si in sejuncta Ecclesia Canonicatum, sive in disparata Diœcesi Parochialem assequantur (9) Canonici, cæterique residentiæ addicti contrafacientes, fructus omnes suæ Præbendæ post dictos duos menses decursos, suos non faciant, & si redditus omnes in quotidianis distributionibus consistant, eas utique amittant, absque alia sententia declaratoria, sed Pauperibus, fabricæ Ecclesiæ, vel Sa-

(6) *Trid. sess. 24. de reform. cap. 12. vers.* Provisi etiã.

(7) *Sac. Congreg. Conc. in una Seguntina relat. à Barbos. de off. & pot. Episc. alleg. 61. n. 17.*

(8) *Sac. Congreg. Conc. in Asculana Apuliæ 28. Julii 1691.*

(9) *Eadem in Calaguritana 22. Septembris 1696.*

Sacristiæ restituere teneantur, regula de triennali possessore eis minimè suffragante, nisi Sacri Concilii Congregatio remissionem indulgeat, prout in hoc postremo casu distributionum, injuncta Professione, concedere non dedignatur; (10) Cæteri verò pœnis à Sacro Concilio, & prælibata Constitutione Pii IV. comminatis, plectentur; Canonici autem coadjutores durante coadjutoria, nec non Canonici Collegiatarum etiam insignium ab hujusmodi onere Fidei Professionem emittendi licèt sint exempti; illos tamen in Domino hortamur ad hujusmodi professionem emittendam, & præcipuè, ubi est consuetudo, illam omnino servari mandamus. At prima Dignitas, si adsit, de stylo Datariæ, emittere tenebitur. Ii verò, qui non emiserint, unà cum cæteris simplicibus Beneficiatis in prima Diœcesana Synodo Fidem (11) profiteantur.

(10) *Eadem Sac. Cong. in nullius, seu Taurinen. 2. Maji 1682.*

(11) *Trid. Sess. 25. cap. 2. de refor. vers.* cæteri verò.

CAP. II.

De Doctrina Christiana.

I. QUoniam fidei meritum obtineri, & credendi necessitati succurri minimè potest, nisi per providos sanæ doctrinæ satores credenda dilucidè proponantur; Sacri Tridentini Concilii, & Summorum Pontificum sanctionibus inhærendo, omnibus Parochis, & Animarum Rectoribus, Pastorali nostræ curæ subjectis, nec non omnibus aliis, ad quos de jure, sive ex eorum regula, statuto, aut quocumque modo spectabit, strictè præcipiendo mandamus, ut Christianæ Doctrinæ rudimenta, eaque potissimùm, quæ ad æternam salutem necessaria sunt, tam necessitate medii, quàm necessitate præcepti, perspicua methodo, & Puerorum, ru-

diumque captui accommodata singulis Dominicis,& aliis festis diebus explicent, & proponant ovibus suis, campanæ signo à prandio, & ante Vesperas ad hoc de more convocatis (1).

II. Eadem autem obligatione se teneri noverint Genitores erga filios, & in eorum defectu Tutores erga Pupillos, Patrinos erga eos, quos à Sacro Fonte, vel à Confirmatione susceperint, fortiùsque Hæros erga famulos, Ludimagistros, Mulieresque magistras erga Scholares, & Discipulas eorum eruditioni commissos, & respectivè demandatas, juxta Constitutionem SacriConcilii Lateranensis(2).

III. Curent insuper Parochi sacrorum Canonum, Conciliorum, & Summorum Pontificum jussis obtemperando, ut in unaquaque Parochia Doctrinæ Christianæ Confraternitas erigatur, Confratribus, & Christianam Doctrinam edocentibus, Indulgentiarum stipendio proposito, quas iidem Pontifices de Sanctæ Matris Ecclesiæ thesauro depromptas concesserunt.

IV. Clerici etiam in hoc munere Fidei rudimenta disseminandi Parocho fideles administri, sedulique coadjutores existant: Testimonio de hujusmodi Decreti adimplemento destituti, sciant se à nobis ad ulteriores Ordines non promovendos, & prout latiùs innuimus in nostro Edicto infra recensendo.

(1) *Trid. sess.24. cap.4. de reform.*

(2) *Sub Leone X. sess.9.*

CAP.

CAP. III.

De Hæreticis, Blaſphemis, & de Hæreſi ſuſpectis.

I. QUamvis, Divina favente Clementia, Hæreſis execrabile monſtrum à Diœceſi noſtra, & finitimis etiam Eccleſiis longè exulet; vigilare tamen Euangelica Tuba nos admonet, nè incogitantibus nobis, ſomnoque correptis, pravorum dogmatum zizania Dominico Agro ſuperſeminet inimicus homo, de facili poſtmodum non avellenda. Quapropter omnibus, & ſingulis, quos Paſtoralis ditionis noſtræ ambitus complectitur, cujuſcumque ſexus, ſeu conditionis exiſtant, diſtrictè in Domino præcipimus, ut ſi quos in Ovili noſtro Væneficos, Sortilegos, Incantatores, Divinatores, Magos, Blaſphemos hæreticales, libros hæreticorum legentes, aut retinentes, & generaliter verba proferentes, aut facta patrantes, quæ hæreſim redoleant, aut aliàs quomodolibet de hæreſi ſuſpectos reperire quandoque contigerit, eos ad formam Edicti Sanctæ Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis, nobis, ſeu Vicario noſtro Generali denunciare, ultra tempus triginta dierum in eodem Edicto præſcriptum non differant, nè Divinæ indignationis gladium, & excommunicationis latæ ſententiæ pœnam in eodem Edicto comminatam ſubire cogantur, cujus quidem Edicti tenorem, ſummatim ſaltèm, bis ad minùs in anno ſubjectis ſibi animabus perlegere, & publicare, Parochorum curæ erit, ut omnes de obligatione denunciandi ſibi impoſita opportunè moneantur, videlicet prima Dominica Quadrageſimæ, & prima Dominica Adventus.

II. Blaſ-

II. Blaſphemos inſuper quoſcumque, etiam non hæreticales, Deique, & Deiparæ, Sanctorumque nominibus, per ſcelus maximum, execrabili præſertim conſuetudine abutentes, monitos in Domino volumus, ut ab hujuſmodi nefario flagitio abſtineant, aliàs præter Divinæ ultionis in futuro ſæculo pœnas, in præſenti etiam à Sacris Canonibus, & à felic. record. Sancti Pii V. Conſtitutione ſancitas ſe noverint incurſuros. Confeſſarii non niſi gravi pro modo culpæ impoſita pœnitentia, Blaſphemos juxta eorum facultates abſolvant: Cæteri verò qui Blaſphemantes audierint, ipſos, ſi poterint, aut ſpes reſipiſcentiæ affulſerit, aſperiùs objurgent; ſin minùs, Dei Gloriæ zelo ducti, ad Judicem Eccleſiaſticum, ſeu Sæcularem deferant puniendos (1).

(1) *Ex Conſtit. S. Pii V.* Cùm primum 1. *Aprilis* 1566.

CAP. IV.

De Verbi Dei Prædicatione.

I. QUandoquidem Prædicationis muneri, quod Nobis præcipuè ab ordinationis noſtræ primordiis injunctum extitit, cæteris Paſtoralis curæ offendiculis præpedientibus, quantum par eſſet incumbere non eſt integrum, alios ſaltèm Operarios conducere ſatagimus, qui miniſterium noſtrum ferventiùs, & fructuoſiùs impleant, & plebem nobis commiſſam arguant, obſecrent, increpent opportunè, importunè in omni patientia, & doctrina (1).

II. Quapropter Animarum Ductoribus omnibus, & Parochis enixè in Domino injungimus, ut ſingulis ſaltèm Dominicis diebus, & ſolemnibus feſtis, ſalutari Verbi Dei pabulo oves ſuas reficere non omit-

(1) *Tridcn. ſeſſ. 5. cap. 2. de reform. & ſeſſ. 24. cap. 4. de refor. ſeſſ. 22. de Sacrif. Miſſæ cap. 8. ſeſſ. 23. cap. 1. de refor. ſeſſ. 24. cap. 7. de refor.*

omittant, currentis Euangelii textum ad omnium, & rudiorum præſertim captum exponant, ejuſdemque ſenſum ad peccatorum, vitiorumque eradicationem, pietatis, & virtutum incrementum, ſuavi ſimul, ac forti declamatione convertant (2).

(2) *Trid. ſeſſ. 5. cap. 2. de refor.*

III. Huc etiam potiſſimùm tendere volumus Concionatores tempore Adventus, & Quadrageſimæ de more deſtinandi, juxta Divi Caroli Mediolanenſis Eccleſiæ Sanctiſſimi Archiepiſcopi monita à S. M. Innoc. XI. per litteras Sacræ Congregationis Concilii in fine regiſtrandas renovata, qui proinde caveant, nè in re tam ſancta, profanis, poeticis, aut ſcurrilibus adinventis utantur; memoriæ, ingenii, vanæque eruditionis, & elegantiæ futilem oſtentationem expungant. Chriſtum prædicent, & hunc Crucifixum: ejus nuditas, vulnera, & cruor, junctis Sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum, Expoſitorumque præclariſſimis monimentis, perennem, & inexhauſtum dicendi fontem ſatìs, ſuperque miniſtrabunt, quo Auditorum aures depaſcantur, eorumque corda ad pœnitentiæ amorem, & cœleſtium deſideria conterantur (3).

(3) *Juxta admonit. Innoc. XI. per litter. Sac. Cong. Concil 6. Julii 1680. impreſſ. ap. Monacell. formul. legal. Eccleſ. p. 1. in Append. pag.* 320.

IV. Præter Crucem, & Crucifixi imaginem, alias imagines, ſtatuas, aut pia ſpectacula è ſacro ſuggeſtu exhibere; nocturno tempore, etiam Paſſionis Domini nocte, concionari, omnino prohibemus (4).

(4) *Sac. Congreg. Episc. in Caſtren. 20 Martii 1629.*

V. Concionis Quadrageſimalis tempore ſæcularia negotia ſileant, Mercatores, & Artifices à ſuorum opificiorum exercitio vacent, Tabernas claudant, ſecus pœnas arbitrio noſtro infligendas luent; neve ignorantiæ, aut alterius tergiverſationis clypeo ſe tueri ſperent, de Prædicationis initio per campanæ ſignum moneri volumus: Et dum concio habetur, Miſſarum celebratio ceſſet, & omnis ſtrepitus

ab

ab Ecclesia, & locis contiguis amoveatur.

V. Canonici, cæterique de Capitulo, Beneficiati, & Clerici Cathedralis, & Collegiatæ legitimè non impediti, chorali habitu, & superpelliceo respectivè induti, verba Dei studiosè, & cum omnimoda corporis compositione tempore Adventus, & Quadragesimæ audiant, ut cæteris exemplo sint, sub pœna amissionis distributionum majori Missæ correspondentium, iidemque alias etiam condignas pœnas arbitratu nostro pro transgressoribus taxandas non effugient (5).

(5) Sac. Congreg. Episc. apud Nicol. flosc. verb. Canonicus n. 33. Sac. Congr. Rit. in Casalen. 17. Februarii 1708. in respons. ad dub. 18. vide alias rescl. apud Petram ad Constit. Apostolic. pag. 471. n. 15. & seqq. tom. 3.

VI. Regularibus, in Ecclesiis etiam sui Ordinis prædicare non liceat, nisi à nobis benedictione petita, licèt non obtenta, dummodo tamen expresse non contradixerimus; in cæteris verò Ecclesiis sermonem habituri, benedictionem eamdem, & licentiam obtinere teneantur: contravenientes, facultatibus à S. M. Papa Clemente X. in Constitutione edita anno 1670. incipien. *Superna magni Patris &c.* in ordine Bullar. la 7. vol. 5. Nobis concessis compescemus.

VII. Ad Moniales clausis januis, remotisque sæcularibus arbitris Concio habeatur.

VIII. In Adventu, & Quadragesima Sacri Oratores Eleemosynas pro Terræ Sanctæ Venerabilium Monumentorum conservatione, Christifidelium pietati ferventiùs commendent, Sanctissimi D. N. Clementis Papæ XI. mandatis, per litteras in forma Brevis, Prædecessorum Constitutiones innovantes, transmissis, adamussim obsequendo.

IX. Nec omittant juxta Constitutiones Gregorii XIII. la 69., & Sixti V. la 27. zelo prædicationis Christifideles ad studium pietatis impellere, & excitare ad oblationes, & liberales largitiones erogandas

das in redemptionem Christianorum Captivorum apud barbaras Nationes, ad præscriptum litterarum Circularium Eminentissimi, & Reverendissimi D. Cardinalis Imperialis, piæ, ac Venerabilis Archiconfraternitatis Sanctissimi Confalonis Urbis Protectoris, sub datum Romæ 6. Idus Decembris 1711.

XI. Expleta verò Prædicatione Quadragesimali, Concionatores ad Nos accedant, uberes referentes cum exultatione pietatis manipulos, rationemque de indigentiis spiritualibus Populi reddituri; & Parochi Nobis referant, quomodo ipsi Concionatores se gesserint tempore, quo prædicationis munus obierunt.

CAP. V.

De Sacrosanctis Ecclesiis, earumque Cultu, Ornatu, Veneratione, & Immunitate.

I. TAbernaculum Dei cum hominibus, Domum Dei, Domum Orationis, quam decet Santitudo, debito semper cultu, & veneratione prosequi detrectantes, Christi Flagella in hujusmodi prævaricatores justè indignati subituros nemo ambiget, qui memor sit vindicis dexteræ ejus funiculis armatæ, è Domini Templo sæcularia procellentis. Quapropter à Dei Ecclesia, strepitus, clamores, deambulationes, temporalia negotia, vana, atque profana colloquia, compotationes, convivia facessant: ab ea, ejusque Cœmeterio Consilia, Electiones Officialium, aut alii contractus in profanis causis arceantur, neque circa eam ludi, aut alii fragores exerceantur, quibus Divina Officia, aut fidelium orationes perturbentur (1).

(1) *Jo. Andr. in cap. decet de Immunit. Eccl. in 6. vers.* cessent. *Sac. Cong. Episc. 3. Februar.* 1604.

II. Man-

II. Mansionariorum, aliorumque Ministrorum Ecclesiæ uniuscujusque munus sit, Chorum, ubi adest, bis in hebdomada à sordibus, & pulvere mundare; reliquum verò pavimentum, & Altaria singula semel in hebdomada verrere, & purgare, terque saltèm in anno, Festis scilicet Nativitatis, & Resurrectionis Domini, necnon Assumptionis Beatissimæ Virginis Mariæ adventantibus, à parietibus glomerati pulveris nubem excutere, solerterque mundare: Et si quando tractu temporis iidem parietes denigrati fuerint, albo iterum super inducto, decenter reparari curent. Portas, atque fenestras congruis horis aperiri, & claudi, Sanctique Titularis imaginem super Templi uniuscujusque majorem portam compingi faciant, juxta Decreta in nostra Visitatione edita, Divi Caroli Borromæi monitis inhærendo.

III. Mulieres non, nisi velato capite, Sacras mansiones ingredi audeant, ab hominibus segregatæ, quantum fieri poterit, tempore præsertim sacræ Communionis, & Concionis morentur (2).

IV. Prospectus in Ecclesias per portas, fenestras, aliasque servitutes activas inducere nemo præsumat, nisi Apostolicæ auctoritatis præsidio fulciatur (3).

V. Scamna, seu sedilia quæcumque sinè Episcopi licentia non apponantur, & à Sacellis, seu Cappellis removeantur, nè Celebrantes distrahi, neque Ecclesiæ functiones impediri contingat, sed in loco disparato aptentur, suis locis Concionum tempore reponenda: Ejusdem etiam Episcopi arbitrio penitùs amoveri poterunt, si id expediens duxerit, cùm ex benignitate, tolerantia, & revocabili gratia concessa censeantur, non verò jure hæreditario, successionis, aut donationis à laicis ac-

[2] *Text. cum gloss. in Cap. mulier il 2.33. quæst. 5. cùm aliis relat. à Monacell. p. 1. tit. 5. formul. 8. n. 6. & seqq.*

[3] *Sacr. Congr. Episc. 5. Martii 1619 in Andrien. & Telesina, & in Pisauren. 3. Octobr. 1619. & in aliis apud Monacell. ubi supra n. 14. & seqq.*

acquiri possint, juxta multiplices Sacræ Congregationis Episcoporum, Rituum, & Concilii declarationes (4).

VI. Sanctorum etiam Altarium Venerationi debitæ prospicientes, iisdem, brachiis, aut humeris aliquem adhærere omnino vetamus, multòque minùs galerum, pallium, aut similia quælibet superimponere (5).

VII. Supra Cappellas, aut Oratoria, in quibus incruentum Sacrificium peragitur, profana habitatio, aut cubile non permittitur; neque Sacras Ædes Pacis habitacula armatos ingredi, murisque externis, aut Januis arma, aut venalia quælibet appendere; Citationes quoque, Edicta, aut alia hujusmodi laicalia acta affigere, vel sæcularis fori Judicia intrà sacra Septa exercere (6).

VIII. Quia verò præcipuum venerationis indicium erga Sacras Ecclesias est earum Immunitatem, Dei ordinatione, & Canonicis Sanctionibus constitutam (7), ut ait Tridentinum, religiosè custodire, omnibus, & singulis, quibus Pastorali vigilantia prospicimus, innotescere volumus, Ecclesiastica Immunitate gaudere Sacras Ædes omnes, & Oratoria Ordinarii auctoritate erecta, & fundata, etiamsi non dum benedicta, aut diruta, sed non adhuc profanata; polluta quoque, & interdicta, imò locus ipse Constructioni destinatus, dummodo primus lapis fuerit in eo solemniter injectus (8).

IX. Pari quoque Immunitatis privilegio potiri Cœmeteria, etiam ab Ecclesia separata, Hospitalia Episcopali auctoritate erecta, Monasteria Religiosorum, quousque eorum Clausura extenditur, item eorum Granciæ, seu Hospitia, Seminaria, seu

[4] *Relat. à Monacell. ibidem n. 4. & 5. & in Anagnina 5. Septembr. 1665. apud Pignatell. tom. 9. Cõsul. 147. sub n. 19. & rec. Sac. Cong. Rit. in Narnien. edicti 21. Novembr. 1711.*

[5] *Sacr. Congr. Episc. 12 Januar.* 1604.

[6] *Sacr. Congr. Episc. apud Gavant. v.* Eccles. reverent. *n. 11. & seqq.*

[7] *Sess. 25. cap.* 20. *de reform.*

[8] *Sacr. Congr. Immunitat. apud Ricc. in Synops. v.* Ecclesia *num. 1. & 2.*

Domus Clericorum in communi viventium; Domus Puellarum, & Orphanarum, Ordinario approbante, fundatæ. Item Domus Canonicorum à Cathedrali Ecclesia ultra quadraginta passus non distantes, & quæ de ejusdem Ecclesiæ jure sunt: Nec non Episcopalia Palatia ubique sita, seu Domus, ubi Episcopus Sanctæ Visitationis tempore hospitatur, seu moram trahit. Item Palatia Eminentissimorum Cardinalium extra Urbem existentia, Domus Parochialis ad eamdem Parochiam spectans, & non simpliciter habitata à Parocho, Turres Campanariæ, seu Campanilia etiam ab Ecclesia sejuncta, & non ultra triginta passus distantia. Ecclesiæ etiam Campestres, seu rurales unà cum adjacentiis circum circa intrà triginta passus (9). Et ulteriùs locus quicumque, in quo Sanctissimum Christi Corpus Eucharisticis speciebus velatum reperiatur, veluti ægroti cubiculum, quò ad eum pro Viatico recipiendum sit delatum, imò Persona ipsa Sacerdotis Sacramentum in publicum deferens, & locus universus, quem turba occupat associantium, præterquam si deferatur ad Carceratos; nam Rei in Carcere detenti hac immunitate se tueri non possunt (10).

[9] *Eadem apud eamd. ubi supra, & alibi, & in Tiburtina 16. Septembr. 1687., in Feretran. 2. Octobr. 1691. & in Verulana 19. Augusti 1692.*

(10) *Eadem Sac. Cong. Immunit. in Regien. 22. Februar. 1707. Ricc. ubi ante v.* extractus *n.* 45.

X. Ad loca igitur hujusmodi confugientes, tametsi Rei contumaces, debitores decocti, sive Laici, sive Clerici, servi, seu mancipia, Remiges, aut etiam Infideles quicumque, sive Hæretici, dummodo de hæresis causa principaliter non agatur, Immunitatis beneficio fruuntur, nec extrahi, molestari, aut aliquatenus rebus, vel armis secum delatis spoliari poterunt, sub pœnis in Constitutione S. M. Gregorii XIV. super Ecclesiarum Immunitate contentis; Exceptis tamen casibus, qui in eadem Con-

Constitutione excepti prænotantur, & dummodo prædicti omnes confugio non abutantur (11).

XI. Abuti autem dicerentur, qui Divina Officia, & sacra munia perturbarent, si in Justitiæ contemptum de immuni loco in vias publicas descenderent; aut Vicinis minitando timorem incuterent; In locis iisdem, qui Immunitate gaudent, delicta, scandala, facinora, seu etiam indecentia, & indigna patrarent, veluti Ecclesias immunditiis, & fumo deturpantes (12).

XII. Idem præterea Immunitatis privilegium, quod competit Personis, rebus etiam in prædictis locis à contumacibus, vel decoctis illatis competere, indubitati juris est, itaut rerum earumdem, sive in pecunia, sive scripturis, sive aliis speciebus consistant, non solùm extractio, sed etiam sequestratio absque speciali Sacræ Congregationis Immunitatis permissione, non liceat, neque sustineatur (13). Prout etiam ibidem vetantur Laicis, Ministris, & Judicibus recognitiones Vulneratorum, vel Occisorum, Juramenta, Citationes, & examina Testium, cæterique judiciales actus, nisi Apostolica auctoritate permittantur (14).

XIII. Caveant igitur Parochi, cæterique Ecclesiarum Rectores, nè quisquam in confugio, quo jure fruitur, aliquatenus perturbetur, in reliquis verò casibus Ordinarium certiorare non omittant, ut contra non gaudentes opportunis juris, & facti remediis animadvertat, Sacræ Congregationis præsidio, & auctoritate pro facti contingentia implorato.

(11) *Eadem apud eumd. v.* arma, *v.* bona *v.*Cònfugiti *& alibi*.

(12) *Eadem apud eumd. v.* abutens immunit., *& apud Barus. resol.* 111.

(13) *Eadem apud Ricc. ut supra v.* sequestrum *n.* 1. 2 *&* 7.

[14] *Eadem apud eumd. v.* recognitio corporis delict. *& v.* examen.

CAP. VI.

De Sacris Imaginibus, & Sanctorum Reliquiis.

I. INvisibilem Deum, qui nec Verbis describi potest, nec cogitationibus compræhendi præsentem exhibent obtutui nostro sacræ Imagines, quas undequaque colendas, & venerandas Fidelibus jure proponit Catholica Mater Ecclesia, ut ad Reparatoris, Sanctorumque gesta sectanda, quæ fideliter repræsentant, unusquisque inardescat, & ex iis, quæ animus novit, surgat ad incognita, quæ non novit, Cœlestemque gloriam, quam impari nimis similitudine adumbrant, precibus, piisque operibus promereri discamus (1).

II. Sacras igitur Imagines, & statuas, tam in Ecclesiis, quàm in privatis Domibus debito cum honore, & cultu excolendas, & venerandas sancimus; si quæ pulvere adumbratæ, aut temporis edacitate corrosæ, seu deturpatæ reperiri contigerit, aptis remediis reparentur, pristinæque formæ, & nitori, restituantur. Si quæ Artificis inscitia, vel alia de causa, indecentiam redoleant, itaut ad risum potiùs, & contemptum, quàm ad pietatem excitent, penitùs amoveri, & destrui mandamus (2).

III. Sanctorum verò Reliquias, quas in Fidei Catholicæ munimen, Resurrectionis spem, præclarè, fortiterque gestorum memoriam, & virtutum incitamentum, sancta colit Ecclesia, in Sacris Ædibus asserventur in Armariis quoad interiorem præsertim partem decenter ornatis, & in dextero majoris Altaris cornu, si id fieri poterit, seu in Sacristia collocatis, duplici sera munitis, & clausis: Claves in

[1] *Trident. Sess. 25. de invocat. venerat. & reliq. Sanctor. & Sacr. Imagin.*

[2] *Conc. Prov. Mediol. 3. apud Crispin. Visit. Pastor. p. 3. §. 15. n. 8. & 35.*

in Civitate altera ab Episcopo, altera à Capitulo Cathedralis, & pro eo à Præposito pro tempore; In Diœcesi verò altera à Parocho, altera à Vicario Foraneo asserventur, addita tertia Clave apud Laicos, Magistratum, aut Sindicos Communitatis, ubi legitima consuetudo vigeat, retinenda: Ab exteriori Armarii parte addita Epigraphe -- *Reliquiæ Sanctorum* -- Thesauri ibidem absconditi fidelibus sit index; In Tabernaculo autem, ubi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum reponitur, Reliquias custodiri non licet (3).

IV. Ecclesiæ redditibus suppetentibus, ante Reliquias insignes, corporis videlicet, Capitis, Cruris, Brachii, aut ejus partis, ubi Sanctus Martyrii coronam suscepit, integræ tamen, & non nimis parvæ Festis saltèm diebus accensa lampas ardeat, nisi egestas, vel Sanctissimi Sacramenti vicinitas lampadis duplicationem excuset (4).

V. Reliquiarum Index, seu Catalogus, ubi adhuc non extat vulgari idiomate expressus, in peculiari libello conficiatur, apposito numero, qui Vasculo, seu Thecæ Reliquiam unamquamque continenti correspondeat.

VI. Venerationi publicæ Reliquias exponere nemo audeat, nisi ab Ordinario recognitas, & approbatas; Ostensio verò approbatarum, quæ quotannis Populo statuta die fieri consuevit in Civitate, fiat ab Episcopo de manè, de serò verò à Præposito Cathedralis, prævia thurificatione. In Diœcesi à Sacerdote Superpelliceo, Stola, & Pluviali induto, quatuor saltèm candelis accensis, altero Reliquiæ nomen, & qualitatem alta voce, è supradicto libello perlegente, ut omnibus de Populo singulæ innotescant, & ad earum aspectum, è propriis tamen

[3] *Sac. Congreg. Rit. apud Gavant. in manual. v.* Eucharistia *n.9*, & *v.* reliquiæ.

(4) *Conc. Prov. Mediol. 4. apud Crispin. p.2. Visit. pastor.* §.5. *n.* 10., *ubi latè de materia*.

men tegumentis, seu repositoriis non extractarum propositæ, pietatis stimulis compungantur, & benedictione cum illis accepta reverenter adorent.

VII. In Processionibus, Insignes præsertim, à Sacerdote majori dignitate fulgenti, ut supra induto, deferantur; Deferri autem prohibentur, si eodem tempore Eucharisticum Panem, agmen compositum supplicantium comitetur; Ad Infirmos, consuetudine qualibet minimè suffragante, non deducantur, neque ad potum eisdem ministrandum radantur. Per Laicos cujuscumque Ordinis, aut Dignitatis contrectari, ac tangi sit nefas.

VIII. In privatis Domibus retineri, maximè insignes, nullatenus possint; nisi fortè in privatis Oratoriis asservari, & coli ab Ordinario permittatur.

IX. Sanctorum Corpora de loco ad locum transferri absque Sedis Apostolicæ concessione non possunt, neque intrà ejusdem Ecclesiæ septa, si perpetuæ sepulturæ sint tradita: si verò per modum Depositi in loco aliquo detineantur, vel necessitas, aut justa, rationabilisque causa aliter fieri suadeat, tunc Ordinarii saltèm auctoritate interveniente id fiat (5).

[5] *Text. in cap.* Corpora Sāctorū *dist. 1. de consecr.*

CAP. VII.

De Festorum Dierum, & Jejunii observatione.

I. FEsti Dies in honorem supremi Creatoris die septimo requiescentis, & Deiparæ, Sanctorumque cultum instituti, ut ea, qua decet, observantia recolantur, duo præcipuè servanda sunt; à servilibus nempe vacare, & Missæ Sacrosancto Sacri-

crificio interesse. Hanc porrò in sua Parochiali unusquisque Ecclesia audire, juxta Tridentini hortatum, laudabile maximè erit, solemnibus præsertim, & Dominicis diebus, ubi Euangelii Expositioni, Vigiliarum, & Festorum præmonitioni, Matrimonialibus denunciationibus, Indulgentiarum, Edictorum, Excommunicationum, Monitoriorum pro rebus deperditis publicationi adesse continget (1).

II. Festi etiam cultus requirit, ut Fideles peccatorum expiationi, Sacramentorum perceptioni, precum ad Deum effusioni, Doctrinæ Christianæ addiscendæ, Divinorum Officiorum interessentiæ, & Concionatorum monitis capessendis sedulò incumbant (2): Choreas verò diebus hujusmodi, prout etiam qualibet sexta Feria, Saltationes, Larvas, & Ludos publicos, Baccanaliorum etiam tempore omnino prohibemus, multòque magis mimicos actus, Histrionum repræsentationes, Circulatorum, & Unguentariorum jocos, impudicitiæ, & inhonestatis fomites vetamus; Unguentariis tamen post Vesperas debita cum honestate sua remedia distribuere permittetur (3).

III. Quod attinet ad servilia, quæ festis diebus prohibentur, hujusmodi dignoscuntur opera omnia, quæ mechanica, vel illiberalia sunt, quæque ab Operariis tantùm, & servis fieri solent, sivè cum corporis defatigatione, aut cum intentione lucri captandi fiant, sive non. Quibus adde opera aliqua non servilia, quæ forensia dicuntur, videlicet Mercatus, Emptiones scilicet, & Venditiones, cæterique contractus Locationis, Permutationis &c. nisi justa causa excuset, actusque omnes judiciales, tam Fori Ecclesiastici, quàm Sæcularis.

(1) *Trid Sess. 22. decret. de Observ. & evitand. in celebr. miss.*

(2) *Cap. 2. & in fin de feriis cap. 1 de reliq. & venerat. Sanctorum in 6.*

(3) *Ad text. in c.* qui die 66 *de consecrat. dist. 1. Sac. Cong. Conc. in Cesenaten. 26. Februar. 1695. & in Fulginaten. 30. Aprilis 1622.*

IV. Quare, ut Festorum honori debito prospiciamus, in Edicto nostro super hac re emanato, & in fine hujus Synodi perstricto sancita, præsenti Decreto innovamus sub pœnis in eodem contentis, graviori etiam calculo, augendis, & usque ad Excommunicationis, & Censurarum sententiam, si contumacia, contemptus, pravus abusus ita suadere videbitur, aut juris subsidium postulaverit, Regularibus quoque, cæterisque exemptis in hac parte non exceptis. Quod si necessitas, Pietas in Deum, Charitas erga Proximum, aut alia rationabilis causa ibidem ordinatis contraire suadebit, per Nos, & Vicarium nostrum Generalem in Civitate, & Foraneos in Diœcesi, causa cognita, ad Sacrorum Canonum præscriptum, & ad formam litterarum Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium 13. *Junii* 1704. Prædecessori nostro directarum, dispensationes, & licentiæ gratìs, & in scriptis concedentur.

V. Inter Festa autem de præcepto cæteris Christifidelibus communia in hac Civitate, & tota Diœcesi adnumeretur Festum Sancti Magni Patroni principalis, quod sub ritu duplici primæ Classis cum Octava ab universo Clero Sæculari die 19. Augusti in Civitate erit recolendum: Regularis verò, & Diœcesanus Clerus ad Octavam non tenebitur (4).

VI. Celebretur etiam in Civitate, & Diœcesi universa, dies Anniversaria Dedicationis Cathedralis Ecclesiæ, quæ recurrit die 30. Septembris cum Officio, Missa de Dedicatione, & *Credo* etiam extra dictam Ecclesiam; Et cum Octava in Civitate, non verò in Diœcesi. Prout ad Octavam non tenentur Regulares in Civitate degentes, nisi ex congruentia: Hac verò die abstinentia à servilibus non præcipitur:

(4) *Sac. Congreg. Rit.* 13. *Septembr.* 1642.

VII. Sa.

VII. Sacra etiam jejunia, quæ ad Animarum, corporumque medelam salubriter à Sanctis Apostolis, & à Matre Ecclesia indicta sunt, cum animi alacritate, & fervore suscipi, & juxta jejunii leges ab omnibus Curæ nostræ subjectis religiosè observari mandamus.

VIII. Parochi in eorum Conventuali Missa Plebem suæ Vigilantiæ demandatam, de Jejuniis infra hebdomadam occurrentibus, præmoneant, & ad Quadragesimale præsertim servandum, accommodata hortatione vehementer impellant, utpote ad imitationem Christi Ductoris nostri quadraginta diebus jejunantis, in publicam, & communem delictorum, quæ totius anni decursu patravimus, pœnitentiam, & ad Paschalis Sacramenti dignam susceptionem institutum. Instent præterea, ut juxta Sanctorum monita, fiat cibus pauperum abstinentia jejunantis, & carni alimentis subtractis, mens quoque à sæculi deliciis, & à culpa præcipuè jejunet.

IX. Nemo cibos jejuniorum tempore vetitos venundare, nec in loco publico habere audeat, sed tantùm in segregato angulo carnes dumtaxat salubres custodiant, ad infirmorum, & imbecillium necessitatem à Nobis, seu Generali Vicario nostro, & respectivè in Diœcesi à Vicariis Foraneis, Medici Fide, ubi adest, præcedente, in scriptis gratìs approbandam.

X. De cætero Edictum hac de re publicatum, & in fine registratum, quoad omnia, & singula in eo contenta servari præcipimus.

CAP. VIII.

De Lectione Sacræ Scripturæ, & Casuum Conscientiæ Collationibus.

I. QUoniam Sacræ ſcripturæ librum olim clauſum, & ſignatum ſigillis ſeptem aperuit nobis immaculatus Agnus, qui occiſus eſt, & ſolvit ſeptem ſignacula ejus, æquum, dignumque eſt, ut ad cœleſtis ejus Doctrinæ pabulum deguſtandum unuſquiſque eſurienti animo accedat; aptoque adhibito Miniſtro tam bonæ Epulæ propinentur.

II. Cùm igitur in hac Cathedrali noſtra, Canonicatus cum Theologali Præbenda erectus reperiatur ad formam Sacri Concilii Tridentini Seſſ. 5. cap. 1. de reform. Præcipimus, & mandamus Canonico Theologo pro tempore exiſtenti, ut ſtatutis diebus, & horis, arbitrio noſtro, & Succeſſorum noſtrorum deſignandis, legat, & explicet materiam Sacræ Scripturæ ab Ordinario aſſignatam, prout eidem pro Cleri, & Populi profectu videbitur magis expedire (1).

III. Quod ſi fortè idem Canonicus Theologus Sacræ ſcripturæ explicationi, & interpretationi idoneus non reperiatur, curæ erit Nobis, vel Ordinario pro tempore de idoneo ſubſtituto, etiam per fructuum ſubtractionem providere; prout etiam curandum videtur, ſi diuturna, & incurabili infirmitate laboret, nè interim Clerus Sacræ lectionis refectione privetur: ſecùs ſi ſanabili infirmitate tantùm præpediatur, quo caſu per ſubſtitutum ſupplere neque tenebitur, neque compelli æquum erit (2).

IV. Gaudeat, diebus tantùm deſtinatis ad legendum, diſtributionibus quotidianis, licèt à Chori ſer-

(1) *Sac. Congreg. Conc. in Brixien. 11. Jaunar. 1594 cum aliis apud Petram ad Conſt. Apoſtolic. tom. 4. pag. 255. n. 46. & 51. cum ſeqq.*

(2) *Eadem Sac. Cong. in Aſten. apud Criſpin. Viſit. paſtor. p. 2. §. 23. n. 5.*

servitio vacet, juxta dispositionem Canonicarum Sanctionum, non autem tribus præcedentibus diei, qua legit, ut aliàs fretus Constitutionibus hujus Ecclesiæ gaudebat, quas in hac parte attendi noluimus (3).

V. Teneatur legere etiam tempore Adventus Domini, & Quadragesimæ, & prout arbitrio nostro, & Episcoporum pro tempore judicatum fuerit expedire, mensibus tamen Julii, Augusti, & Septembris exceptis (4).

VI. Lectioni autem interesse tenentur Canonici, Beneficiati, cæterique Cathedralis nostræ Ecclesiæ Clerici; item Parochi, & alii Sæculares Confessarii: Reliquos verò Sacerdotes, & Urbanos Clericos ad eamdem accedere in Domino hortamur, ut Spiritus Sancti Doctrinâ erudiri alacri, & concupiscenti animo satagant; certi insuper, per Nos de frequentantibus Sacram lectionem in Beneficiorum collationibus, & ad ulteriores Ordines respectivè promotionibus rationem habendam (5).

VII. Theologali Canonicatu vacante in mensibus Ordinarii Personæ magis idoneæ per concursum seligendæ conferatur juxta quintum Concilium Provinciale Mediolanense, & interim vacatione durante alter Canonicus, ad id idoneus repertus, seu alius extra Capitulum ab Ordinario eligendus, ejus vices supplebit, vacantis Præbendæ fructibus ei applicatis (6). Quòd si aptus in Sæculari Clero non inveniatur, iidem fructus assignentur alicui Superiori Regularis Conventus, qui curet, ut aliquis Theologus ex suis Regularibus huic muneri explendo sufficiens, publicè in Cathedrali doceat sacram scripturam, eique necessaria ex dictis fructibus subministret, quod verò superest, in usum Conventus impendat, ad formam

(3) *Eadem S. Congreg. in Anagnina 16. Decemb. 1645*

(4) *Ead. in Anagnina, de qua supra.*

(5) *Eadem in Castellaneten. 1. Aprilis 1628.*

(6) *Sac. Congreg. Episc. 26. Januar. 1594.*

mam resolutionis Sacræ Congregationis Concilii in Theatina 16. Martii 1695. Verùm, cùm in Cathedrali nostra omnes fructus Canonicatuum in quotidianis Distributionibus consistant, duæ ex tribus partibus distributionum earumdem, in eventu supra expresso, ut dictum est, applicentur, relicta tertia, quæ inservientibus accrescat.

VIII. Quod attinet ad Casuum Conscientiæ collationes menstruatim in nostro Episcopali Palatio, more solito habendas à mense Novembris, usque, & per totum mensem Junii, ad eas conveniant Archipresbyteri, Parochi etiam Regulares, & Confessarii Sæculares omnes, qui de jure interesse tenentur: Cæteros verò Sacerdotes, & Clericos nosse volumus, per hujusmodi accessum rem sibi perutilem, & Nobis de eorum profectu solicitis apprimè gratam, facturos (7).

IX. Regulares non Curati, etiamsi in parvis Conventibus suppressis, & visitationi, correctioni, & jurisdictioni Ordinariorum subjectis degant, accedere non teneri pluries Sacra Congregatio Episcop. & Regul. resolvit, eosdem nihilominus enixè hortamur, ut, quemadmodum Congregationibus hactenus coram Nobis habitis interesse non omiserunt, ita prosequi non detrectent: Decet etenim eos universo Clero in re ad Animarum salutem maximè necessaria exemplo præfulgere, quos in Regularibus Domibus constituit Dominus tamquam lucernas ardentes in caliginoso loco, ut pietatis, & Sapientiæ radios undequaque diffundant, & ignorantiæ, vitiorumque tenebras exterminent (8).

(7) *Sac. Congreg. Conc. in Civitatis Plebis cōferēt. Casuum 15. Martii 1692.*

[8] *Sac. Congr. Episc. in Vercellen. 7. Octobr. 1586. in Ferrarien. 13. Octobr. 1593. in Veronen. 14. Martii 1630. in Patavina pro Regular. Andriæ 6. Augusti 1629. & pro Min. Conventualib. 15. Januar. 1682.*

PARS

CONSTITUTIONUM SYNODALIUM

PARS SECUNDA

CAP. I.

De Sacramentis in genere.

SAcramenta novæ legis à Christo Domino nostro condita, ita dicta à Secretis virtutibus (1), sive à Sacrando, veluti ornamenta ab ornando, signa sunt visibilia invisibilis gratiæ ab eis in anima productæ, & septenario numero jure instituta (2), quoniam, ut cæteras congruentias taceamus, ad actus virtutum tum Theologalium, tum Cardinalium nos disponunt, Baptismus scilicet ad Fidem, Extrema Unctio ad spem, Eucharistia ad Charitatem, Confirmatio ad fortitudinem, Pœnitentia ad Justitiam, Ordo ad Prudentiam, Matrimonium ad Temperantiam. Alia sunt necessitatis, veluti Baptismus ad ingressum in Ecclesiam, Confirmatio, Pœnitentia, & Eucharistia ad pro-

[1] *Cap.* multi 1. *quæst.* 1. §. Sacramentum.

[2] *Conc. Florent. in decret. de Sacram. Trid. Sess. 7. can. 1. de Sacram.*

progressum, Extrema Unctio ad egressum; Alia verò voluntatis, Ordo videlicet, & Matrimonium. Alia imprimunt Characterem, ut Baptismus, Confirmatio, &Ordo,& ideò sinè gravi sacrilegio iterari nequeunt. Reliqua non imprimunt, & ideo iterationem admittunt.

II. Eorum Minister quoad Ordinem, & Confirmationem est solus Episcopus, quò verò ad reliqua est Sacerdos, si Baptismum excipias, qui in necessitate potest à quolibet viro, vel fœmina ministrari juxta Rituale Romanum (3).

III. Quare, sive Institutorem Christum Dominum inspicias, sive gratiam sanctificantem per Sacramenta in Animam infusam, facilè colliges, qua morum innocentia, & animi Sanctitate sint conficienda, & suscipienda, qua manuum munditie pertractanda. Hinc unusquisque, seu suscipiens, seu minister lethalis peccati sibi conscius ad Eucharistiam per Confessionem animam præparet, ad reliqua verò Sacramenta saltèm per Contritionem; sed si habeat copiam Confessarii, & temporis, locique ratio ferat, convenit confiteri, prout disponit Rituale Romanum tit. de his, quæ in Sacramentorum administratione generaliter servanda sunt.

IV. Caveant insuper Ministri, ut ad unguem servent præscripta in Rituali Romano, præsertim circa Materiam,Formam,& debitam Intentionem peragendi quidquid Reparator noster instituit, & facere intendit Catholica Mater Ecclesia, nihil addendo, minuendo, aut aliquatenus immutando. Calices etiam, Patenas, Corporalia, cæteraque instrumenta, ac Vestes, quæ in hujusmodi ministerio adhibentur, cum ea, qua decet, munditie, decentia, & honestate custodiant: Sacramentalia etiam (præter aquam be-

(3) *Cap.* Firmiter *de Summ. Trinit. & Fide Catholic. cap.* in necessit. & *cap.* à quodam *de Consecrat. dist.* 4.

benedictam, sive lustralem) sub seris, ac clavibus religiosissimè asservent, nè quis ad nefaria exercenda, vel ad finem à Romana Ecclesia reprobatum, eis per summum nefas abutatur.

V. Parochi, cæterique Sacramentorum Dispensatores non nisi habitu decenti, ac talari, superpelliceo, & stola induti, nec extra Ecclesiæ ambitum, præter Viaticum, & Extremam Unctionem piè, ac devotè conferant.

VI. Sacramentum quoque Extremæ Unctionis ad Ritualis Romani præscriptum publicè deferatur ad Infirmos, & non in abscondito, sed cum Cotta, Stola, & Clerico Clericali habitu induto, vel in ejus defectu alio saltèm Socio decenti sacco supervestito.

VII. Prompti sint Parochi, omnesque, ad quos spectat, ad Sacramenta tam de die, quàm de nocte, cùm opus fuerit, ministranda. Quod si eorum incuriâ, negligentiâ, seu culpâ intercedente, aliquem absque Sacramentorum auxilio decedere contigerit, gravissimè pro transgressionis reatu arbitrio nostro punietur.

CAP. II.

De Sacramento Baptismi.

I. Baptismi Sacrosanctum lavacrum, quod Originalis peccati, quoad Infantes, & actualis etiam in Adultis sorde sublata, Ecclesiæ Dei, cæterorum Sacramentorum, ac cœlestis Patriæ januam credentibus aperit (1), ut ritè, & ea, qua par est, reverentia pertractetur, atque optato cum fœnore adhibeatur, memoriæ reducendum est, solum Aquæ, seu fluminis Baptismum esse verè, & propriè

[1] *Cap. 2. de Cognat. Spiritual. in 6.*

Baptiſmum gratiam conferentem, & ſimul imprimentem in Anima Characterem, Baptiſmum verò flaminis, & Sanguinis improprìè talem dici, cùm per hujuſmodi Baptiſmum ſalvari Anima quidem poſſit, utpote regenerata per gratiam; verumtamen non in Sacramento fidei, ſed in fide Sacramenti, ideoque Aquæ opportunitate data iterari debere.

II. Eſt autem Baptiſmus Aquæ, ſeu Fluminis alius ſimplex, alius ſolemnis; ſimplex habetur per materiam, formam, intentionem, & Miniſtrum abſque alia ſolemnitate, & in neceſſitate tantùm eo uti poſſumus cum onere ſupplendi alias Eccleſiæ ſolemnitates, ſi per tempus liceat. Solemnis ultra prædicta, cæremonias requirit ab Eccleſia inſtitutas, & in Rituali Romano præſcriptas, quo regulariter, & rationabili neceſſitatis cauſa ceſſante, uti debemus: Qui etenim ſecus fecerit, in lethalis peccati baratrum dilabetur.

III. Materia remota ſufficiens, & in neceſſitate licita eſt Aqua naturalis, & elementaris à mari, flumine, lacu, puteo, ſtagno, pluvia, ſeu nive, & glacie diſſoluta proveniens, calida, vel frigida; extra neceſſitatis tamen caſum eſt ſola Aqua in diebus Sabbathi Sancti, & Sabbathi ante Pentecoſten ad hoc munus benedicta, & conſecrata. Proxima verò materia eſt trina ablutio per ipſam Aquam, non in qualibet Baptizati corporis parte, ſed in capite, ubi ſenſuum, & animalium, rationaliumque ſpirituum ſcaturigo potiſſimùm reſidet (2).

[2] *Cap.* poſtquā vos *de conſecrat. diſt.* 4. *Catechiſm. Roman. de Baptiſmo ſect.* 19. *Ritual. in rubric. de baptiſmo.*

IV. Forma ſunt Verba: *Ego te baptizo in nomine Patris* ✠, *& Filii* ✠, *& Spiritus Sancti* ✠ *Amen*, ſimul cum prædicta trina ablutione, quæ ſeu Latino, ſeu Italico, aut alio vulgari idiomate proferantur, validum erit Sacramentum, ſinè rationabili tamen

cau-

cauſa à Latino ſermone recedere non licet; Quòd ſi ſub conditione iterandus eſſet Baptiſmus, forma erit -- *Si non es baptizatus, Ego te baptizo &c.*

V. Conſiſtit intentio huic Sacramento præerequiſita in voluntatis actu, per quem Miniſter velit mundare, & Suſcipiens mundari per Sacramentale lavacrum, ſeu generaliter conficere, & ſuſcipere quod facit, & inſtituit Eccleſia: Quæ quidem voluntas in Infantibus, aut rationis expertibus ſuppletur per fidem, & intentionem Parentum, Patrinorum, & ipſius Eccleſiæ.

VI. Ad Patrini autem munus exercendum duo aſſumi poterunt, vir ſcilicet, & fœmina, dummodo Baptiſmi, & Confirmationis Sacramentis ſint inſigniti, in præcedenti Paſchate ſint confeſſi, & Sacra Communione refecti, Fideique rudimentis imbuti, & vir in XIV., fœmina verò in XII. ſaltèm ætatis anno ſit conſtituta, & Compatres in Baptiſmo, ſicut in Confirmatione, & aliorum Sacramentorum ſuſceptione deponant arma.

VII. Patrinos eſſe vetamus, & prohibemus Excommunicatos, Interdictos, publicos Peccatores, mutos, item Monachos, Moniales, aut alios Regulares, etiam de Superiorum ſuorum permiſſione, cùm ita in jure ſit cautum, nè cum Mulieribus commatribus familiaritatem admiſceant (3): Regulares tantùm excipiendo ad Epiſcopatum, aut ad excelſam Cardinalatus Dignitatem promotos.

(3) Cap. Non licet Abbati *de conſecrat. diſt.* 4.

VIII. Item ex rationis paritate Compatres eſſe nolumus Sacerdotes, & Clericos Sæculares in Cælibatu exiſtentes abſque noſtra ſpeciali licentia.

IX. Hujus denique Sacramenti Miniſter regulariter, & in ſolemni Baptiſmo eſt proprius Parochus, licèt Epiſcopus eſſe poſſit pro Dignitate, & de alter-

utrius permiſſione, etiam alius Sacerdos; baptiſmi autem in neceſſitate, & in mortis articulo collati, miniſter eſſe poterit quilibet Sacerdos, Diaconus, aut alius Clericus, & etiam Laicus, vir, vel fœmina, proprius etiam Infantis Pater, vel Mater, imò etiam Excommunicatus, Judæus, Infidelis, & Hæreticus, dummodo Sanctæ Eccleſiæ inſtitutioni ſe conforment. Omnes tamen promiſcuè admitti non liceat, ſed ſervetur debitus ordo, ut Sacerdote præſente non admittatur Diaconus, vel Clericus, nec Laicus præſente Clerico, & ſic de cæteris. Et quatenus agatur de Adulto, ſinè Epiſcopi, ſeu Vicarii Generalis licentia non erit ipſe baptizandus, ſecluſo caſu neceſſitatis, ut Baptizandi Fides maturè probetur (4).

(4) *Cap.* Venerabilis *de conſecrat. diſt.* 4. *Acta Mediol. p.* 4. *de Adulti baptiſmo pag.* 506.

X. Quià verò Obſtetrices plerumque hujuſmodi periculo, ac neceſſitati intereſſe uſuvenit, Parochorum curæ ſit, ut eas circa materiam, formam, & intentionem, cæteraque ad hujus Sacramenti validitatem ſpectantia diligenter inſtruant; nec ipſæ hujuſmodi officio ſe exponant abſque noſtra, vel Vicarii noſtri Generalis approbatione (5).

[5] *Conc. Prov. Mediol.* 5.

XI. Caveant item Parochi, nè ultra triduum ab Infantis ortu Baptiſmus differatur, aut ei profana, ſive Ethnicorum nomina imponantur, neque ad Sacrum Fontem cum ſæculi pompis, ſeu ornatu, quibus renunciaturus accedit, deducatur; minùſque extra Eccleſiam, & in privatis Domibus, præciſa neceſſitate, baptizent, cùm hoc Regum tantùm, & Superiorem in temporalibus non recognoſcentium filiis Sacri Canones indulgeant; ſecùs facientes, ſuſpenſionis per ſex menſes à Curæ exercitio pœnæ ſubjacere ſciant (6).

[6] *Clem. Unic. de baptiſm.*

XII. Nè Parochi uniuſcujuſque juriſdictio inter-

ver-

vertatur, nemo alienæ Parochiæ Infantes baptizare audeat, tametſi ad ejus Eccleſiam deferantur ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda (7). Eccleſia tamen Cathedrali excepta, juxta Conſtitutiones ejuſdem Eccleſiæ cap. 21. n. 2. de Curato, ubi quod Sacramentum Baptiſmi non ſolùm ejuſdem Parochiæ ſubditis, ſed etiam omnibus hujus Civitatis ad fontem Cathedralis Eccleſiæ ſpontè concurrentibus miniſtrare poſſit, & valeat (8). Volumus tamen, quòd in tali caſu idem Curatus ad Parochum Baptizati notam Baptiſmi tranſmittere teneatur ſub pœnis arbitrio noſtro. Expoſitos in ſua Parochia inventos nulla baptiſmi prælucente conjectura abſque conditione aliqua baptizet Parochus: Quòd ſi ſchedulam deferrent Baptiſmi indicem, ſed temporis, loci, ſeu Parochi, à quo baptizati fuerint notitia carentem, tunc ſub conditione in ſacro fonte regenerari conſultum erit.

XIII. Moneantur à vigili Paſtore Patrini tum de eorum obligatione inſtruendi ſuſceptos in Catholica Fide, & bonis moribus in Parentum defectu, tum de Spirituali cognatione ex Baptiſmo inſurgente inter Baptizantem, & Baptizatum, ejuſque Patrem, & Matrem, nec non inter ſuſcipientes, & ſuſceptum, ejuſque Parentes, eiſdem Parentibus propriam ſobolem in neceſſitate baptizantibus exceptis (9).

XIV. Nec Infantis Genitores monere, & ferventiùs increpare omittat Baptizans, nè eos in lecto ante completum primum ætatis annum retineant, niſi velint periculi ratione, graviſſimo homicidii reatu ſe obſtringere, à quo non niſi à Nobis, aut alio, cui, legitimam facultatem delegaverimus, abſolvi poterunt, pœniſque in foro, etiam externo in noſtro Edicto in fine regiſtrato, comminatis, ſubjacere.

XV. CA-

[7] *Trident. Seſſ. 24. de reform. cap. 13. in fine.*

[8] *Ad mentem Sacr. Congr. Rit. Barboſ. de Paroch. cap. 18. n. 7. Petra ad Conſtit. Apoſt. tom. 4. pag. 289. n. 35. cum ſeqq.*

[9] *Cap.* ad limina 30. *quæſt. 1. Catechiſm. Rom. p. 2. de Sacr. Baptiſm. n. 26. 27. & 28.*

XV. Caveant insuper Parochi ad omnem avaritiæ notam, & Simoniæ labem exterminandam, nè pro hujus Sacramenti Collatione aliquid prorsus petant, aut recipiant præter ceream faculam, seu Candelam, quam cum gratiarum actione à pia, & spontanea Offerentium largitione, & Eleemosyna percipiant.

XVI. Baptismo præterea collato, adnotet illico unusquisque Parochus in libro ad hoc destinato nomen, seu nomina, & cognomen Baptizati, ejusque Parentum, Patrini, Matrinæ, nec non Obstetricis, expresso die, mense, & anno tam secuti Baptismi, quàm Nativitatis Baptizati, quæ non per Arithmeticas notas, sed per extensum litteris diligentiùs adnotentur. Et post Octavam Paschæ Resurrectionis teneantur annuatim nomina Baptizatorum illius anni, unà cum statu Animarum nostræ Cancellariæ transmittere sub pœnis contra præmissorum omnium Transgressores arbitrio nostro severiùs injungendis.

CAP. III.

De Sacramento Confirmationis.

I. CONfirmatio, ita dicta, quia in Nobis Fidem, & gratiam Dei in Baptismo susceptam, nosque in Fide, & gratiâ confirmat, licèt necessaria minimè sit ad salutem (1), Infantibus præsertim continuò è vita migraturis; In hac tamen vita permansuros, & cum Mundi, Carnis, & Diaboli subdolis hostibus certamen inituros, eâ muniri oportet, per quam regenerati per Baptismum ad Vitam, confirmantur ad pugnam, augentur, & roborantur ad gratiam (2).

[1] *Catechism. hic n. 15.*

(2) *Cap. 2. de consecrat. dist. 4.*

II. Hujus Sacramenti remota materia est Chrisma, ex oleo, & balsamo ab Episcopo quotannis confectum

ctum in die Cœnæ Domini; quæ proxima fit per Unctionem in fronte Confirmandi ab eodem Episcopo factam in modum Crucis cum debita prolatione Formæ, & Intentione ad indicandum animi robur ad confitendum Christum Crucifixum sinè timore. Et jure quidem meritò soli Episcopo tribuitur hujusmodi ministerium, quia cùm Confirmatio sit Baptismi perfectio, perfectio actus, superiori erat reservanda, nulli proinde, nisi Sacerdoti à Papa in aliquo raro necessitatis casu delegauda. Suos autem subditos tantùm confirmare debet Episcopus, & in sua Diœcesi residens, quia alienos subditos confirmans sinè proprii Ordinarii licentia, licèt de rigore à culpa, & pœna sit exemptus, ex præsumpto proprii Superioris consensu, repræhensione tamen dignus efficeretur. Extra Diœcesim verò si ministraret etiam propriis subditis, suspensionis ab usu Pontificalium pœnam incurreret (3).

(3) *Trid. Sess. 6. cap. 5. de refor.*

III. Ad Confirmationis Sacramentum suscipiendum minimè accedant non Baptizati, neque Excommunicati, vel interdicti, nec rudimentorum Fidei ignari, si in ætate ad hæc retinenda congruâ admittantur; quapropter non nisi in septennio, vel quinquennio saltèm constitutos regulariter recipi volumus, licèt aliud in praxi non damnabili, & usu receptâ etiam servetur, è converso usque ad duodecimum annum hujus Sacramenti susceptionem differri non decet. Adulti autem saltèm de congruentia sint jejuni, si de manè hoc Sacramentum ministretur, & in gratia constituti per Confessionem, vel saltèm Contritionem, nè gratiæ per idem Sacramentum collatæ obicem ponant.

IV. Cæditur verò leviter in maxilla ab Episcopo, qui jam Unctus, & Confirmatus est, ut sciat se paratum

tum esse oportere ad dura quælibet, & adversa pro Christi nomine perferenda; Eidemque datur postremò Pax, qua significatur gratiæ cœlestis plenitudo, & pacis abundantia, quæ exuperat omnem sensum, per Sacramentum collata. Confirmati etiam nomen, si Ethnicum, aut profanum inveniatur, per Episcopum immutabitur.

V. Per Sacramentum hujusmodi contrahitur Spiritualis cognatio, sicut de Baptismo dictum est, si ea, quæ de Baptizante, & Suscipiente ibidem diximus, ad Confirmantem,& Tenentem in Confirmatione referas. Ad Patrini autem, vel Matrinæ (qui, vel quæ juxta Confirmati uniuscujusque sexum unicus, seu unica, hìc assumitur, ad Parentum, seu iis deficientibus Parochorum, & Episcopi electionem) non admittantur, qui Baptismi, & Confirmationis Sacramenta non susceperint, quod si de facto admitterentur, cognationis effectus non sequeretur (4). Neque quis absque necessitate proprium filium, aut fratrem, vel sororem teneat, cùm sufficiat inter hos vinculum carnale. Neque Regulares quicumque, aut Monachi, seu Clerici, ut superiùs de Baptismo loquentes diximus. Moniales tamen ad Novitias earum Monasterii ante professionem confirmandas in Matrinas assumi non vetamus; sicuti non prohibentur Regulares tenere alios Regulares non confirmatos.

[4] *Sac.Congreg. Conc.inLicien.13 Junii 1654.apud Pignatell. tom.1. consult.10.*

VI. Admittetur etiam in Patrinum, seu Matrinam unusquisque in decimo quarto ætatis anno constitutus, & quod Confirmandi ætatem superet, dummodo in exceptionibus prædictis non comprahensus, sitque alius à Patrino, seu Matrina Baptismi, & præter duos eadem die non teneat, nisi aliter fieri Episcopus duxerit indulgendum.

VII. In-

VII. Instruant itaque de prædictis omnibus Parochi Confirmandos eorum regimini subjectos, antequam ad hujus Sacramenti susceptionem accedant, ad formam etiam Edicti, seu Instructionis inferiùs descriptæ: & Confirmationis Sacra functione expleta, Chrismate Signatorum Nomina, Cognomina, nec non eorum Parentum, & Patrinorum, unà cum Confirmationis die, mense, & anno in peculiari libro distinctè, & accuratè describant, & exemplum unà cum statu Animarum nostræ Cancellariæ transmittant, prout superiùs de Baptismi Sacramento agentes, observandum præscripsimus.

CAP IV.

De Sacramento Pœnitentiæ, & Casuum Reservatione.

I. QUi in hunc Mundum intrando, in altitudinem maris venimus, Tempestas duplex demersit nos (1): alteram originale Peccatum, actuale alteram excitavit. Nec è profundo quispiam nos valeret eripere, nisi Domino miserante, è Petri Navicula per Baptismum, demissâ primâ Tabulâ, cui niteremur, secundâ verò per Pœnitentiam, ab utroque naufragio educti, in securitatis portum reduceremur. Jure igitur Pœnitentiæ Sacramentum, de quo hìc agimus, secundæ Tabulæ nomine appellarunt Sanctissimi Patres (2), cujus remota materia peccata sunt actualia post Baptismum commissa, proxima verò actus Pœnitentis, cordis videlicet contritio, orisque confessio de essentia requisita, & satisfactio ad integritatem: Forma sunt verba Absolutionis à legitimo Ministro prolata, scilicet à Sacerdote, qui Parochus sit, vel per Ordina-

(1) *Psalm. 68.*

[2] *Cap. 2. de Pœnit. dist. 1.*

rium legitimè approbatus, sive etiam non approbatus, in eo tamen solummodo casu, quo Pœnitenti in mortis articulo constituto ministret (3).

[3] Trid. Sess. 14. de Sacram. Pœnit. cap. 7.

II. Ut autem tam salubre Sacramentum ea, qua decet reverentia, & honestate administretur, decernimus, & statuimus, tot Sedes Confessionales in singulis tam Sæcularium, quàm Regularium Ecclesiis constitui, & quidem in locis non remotis, sed patentibus, & conspicuis, quot ibidem sunt Confessarii electi, & ab Ordinario approbati, quæ quidem Sedes ab utroque latere ferreis, seu ligneis Cratibus ad ciceris mensuram perforatis sint munitæ, ut auditui quidem, non autem visui aditum præbeant, & à Pœnitentis parte Christi Domini Cruci affixi Imaginem religiosè expressam habeant; à parte verò Confessarii à sinistris casus Summo Pontifici, & Episcopo reservati, à dextero Summarium Bullæ in Cœna Domini, à tergo Summarium Bullarum Immunitatis, & contra solicitantes in Confessione, legantur: pars autem anterior superiùs omnino aperta, ostiolo serâ, clavique munito inferiùs occludatur, nè Confessario absente, ibidem laici, sordidique homines cum ministerii irreverentia sedeant, otiosève dormitent.

III. Nemo ex Confessariis ad hujusmodi Sacramentum ministrandum in Ecclesiis accedat sinè Cotta, Stola violacea, ac bireto Sacerdotali quoad sæculares Presbyteros; quò verò ad Regulares sinè integro habitu, quem in processionibus, aliisque publicis functionibus deferre consueverunt, nec extra Sedes Confessionales ministretur, nec ante solis ortum, vel post ejus occasum, aut in privatis ædibus omnino confiteri prohibemus, nisi ægrotationis, aut alia urgentissima causa intercedente, & tunc cubiculi

culi ostio patefacto. Contrafacientes, à Confessionibus audiendis arbitrio nostro suspendendos sciant. Prout sub ejusdem pœnæ comminatione interdicimus Regularibus sæcularium Confessiones excipere in propriis Cellis, tametsi in Ecclesias correspondentibus, aut prospectum habentibus.

IV. Quicumque etiam tam Sæcularis, quàm Regularis ad Infirmorum Confessiones audiendas accesserit, Parochum de Confessione audita, quamprimum certiorem reddat, aut testimonialem Schedulam apud ægrotum relinquat. In alienis pariter Ecclesiis Sacramento hujusmodi ministrando non se immisceant, nisi à Parochis, aut aliis Superioribus veniâ petitâ, nè propter hoc jurgia, contentiones, ac scandala exoriri contingat (4).

[4] *Clemen X. in Const. edita anno 1670. incip.* Superna magni§. ad hæc.

V. Propositiones à Summis Pontificibus damnatas sæpe relegant Cnnfessarii, ut in praxi salubres doctrinas à noxiis segregare absque hæsitatione addiscant.

VI. In hoc Sacramento ministrando, vel suscipiendo, sacerdotem sedere, non stare convenit, cujuscumque Dignitatis, aut notæ sit Pœnitens. Hic verò, si Sacerdos, vel Clericus sit, sinè Sacris vestibus, & etiam sinè Cotta; si Laicus sinè armis, si fœmina velato capite, omnesque cum animi, & corporis compositione, Christianam humilitatem, & pietatem præseferente, ad sua peccata expianda omnino accedere satagant.

VII. Regulares, qui ad Confessiones approbari postulant, testimoniales deferant Prælatorum suorum, quæ de idoneitate, Vitæ probitate, cæterisque requisitis Clementinæ *Dudum*, §. *Statuimus de Sepulturis* ad tam salubre ministerium exequendum opportunè testentur.

 VIII. Pa-

VIII. Parochos autem, & Confeſſarios omnes in Domino monemus, ut ſuo muneri diligenter incumbant, Judicis, Patris, & Medici partes adamuſſim implendo. Pueros doli capaces, cum eorum Parentibus, Tutoribus, & reſpectivè Heris conſilio inito ad frequentem Confeſſionem excitent: Recidivis donec ſpes emendationis appareat, beneficium abſolutionis differant; in proxima verò peccandi occaſione exiſtentibus, donec illam amoveant, abſolutionem denegent: Ruſticos, Divinæ legis, & Miſteriorum Fidei ignaros, an ad ſalutem neceſſaria calleant, diligenter interrogent; nec eos abſolvant, niſi de iis ſaltèm, quæ neceſſitate medii credere, & ſperare debemus, breviter inſtruant, Confeſſiones præteritas, ſi quas ex tali ignorantia nulliter emiſerint, charitativo examine ſuppleant, cætera, quæ ſunt de neceſſitate præcepti addiſcendi quamprimum, promiſſione accepta. Medicis etiam inculcent obſervantiam diſpoſitionis *text. in cap. cum Infirmitas de Pœnitent.*, & Conſtitutionis Sancti Pii V. de infirmis, ultra tertiam vicem non viſitandis, niſi ſchedula Confeſſionis peractæ eis exhibita ſub pœnis in eadem Conſtitutione contentis, & innovatis per litteras circulares 30. Septembris 1682. in calce præſentis regiſtrandas.

IX. Bullam quoque contra ſolicitantes in calce præſentis Synodi apponendam, & litteras noſtras patentes Confeſſariis concedi ſolitas frequenter perlegant, ut in eis præſcripta ad manus habeant, & promptiùs exequi edoceantur. A'caſibus etiam Nobis reſervatis infra exprimendis extra mortis articulum ſinè noſtra ſpeciali licentia abſolvere non præſumant, tametſi licentiam abſolvendi à caſibus Summo Pontifici reſervatis obtinuerint. Quia verò ad Nos

Nos difficilis quandoque dari posset accessus, Pœnitentium saluti consulendo, in Civitate Canonicis Pœnitentiario, & Curato, & in Diœcesi Vicariis Foraneis facultas absolutionis hujusmodi, arbitrio nostro concedetur, quam poterunt cæteris Confessariis singulis vicibus delegare.

X. Præterea nè Confitentibus desit erubescentia, quæ potissimam remissionis, & satisfactionis partem occupare dignoscitur, decernimus, volumus, & expresè declaramus, nullum post hac ex Confessariis nostræ Jurisdictioni subjectis censendum fore approbatum pro illis, qui cum eodem Confessario sunt Complices, & participes in re venerea, maleficio, aut abortu, aut furto, vel in quolibet peccato mortali: ac proinde ab ipsis spirituales filias, aut alios Pœnitentes quomodolibet carnalis criminis, sortilegii, aut procurati abortus socios, & consortes nulliter absolvendos, cùm necessaria facultas, & jurisdictio in hisce expressis casibus Confessariis desit, quam præsentis tenore decreti eisdem interdictam prorsus esse volumus, & sublatam.

XI. Canonicus Pœnitentiarius, qui juxta Tridentini Sancita Concilii eligi debet annorum 40. completorum, Magister, Doctor, seu Licentiatus in Theologia, seu Jure Canonico, vel aliàs, qui aptior pro loci qualitate reperiatur (5), quamvis communi Jure à reservatis absolvere minimè possit, nec facultatem suam aliquatenus delegare, attamen moderno Canonico Pœnitentiario Cathedralis nostræ auctoritatem hujusmodi per se ipsum absolvendi à Casibus Nobis reservatis, & in particularibus casibus subdelegandi concessimus, addita permissione continuandi usum Virgæ, seu Bacchettæ, quam Pœnitentiarii Urbis adhibent, ratione habita diutinæ Con-

[5] *Trid. cap.8. Sess.24. de refor.*

Consuetudinis, qua ipse, & Prædecessores ejus in eadem Ecclesia hactenus usos fuisse compertum est (6).

(6) *Sac.Congreg. Conc. in Hortana 15. Januar. 1650 apud Crispin. Visit. pastor. p. 2. §. 24. n. 10.*

XII. Omnium ad se accedentium Confessiones audiat, non verò reservata tantùm peccata habentium. Etiam non vocatus in loco, & Sede sibi assignata horis opportunis arbitrio nostro assistat, maximè jejuniorum tempore, & solemnium Festorum: Dummodo verò Festis supradictis, & eò tempore, quo Pœnitentes frequentiores accedunt, non absit, ad majorem residentiam, quàm cæteri Canonici non est cogendus.

XIII. Dum autem in Confessionibus audiendis, sive in Sede ad id destinata, sive extra detinetur, censendus est in Choro præsens, & ab aliis functionibus obeundis est excusandus, juxta resolutionem Sacræ Congregationis Concilii in Anagnina 22. Februarii 1620. nec cogi potest ad Cathedralis œconomiam exercendam, ita declarante Sacra Congregatione Episcoporum pro Pœnitentiario Anagnino 2. Decembris 1625. Imò præsens etiam habendus est in Processionibus, & Defunctorum Exequiis, dummodo eo tempore in Ecclesia Confessiones audiat.

XIV. Si verò Pœnitentiarius abfuerit, vel infirmitate detentus extiterit, subrogabit Episcopus alium Canonicum, qui in suo munere in Ecclesia occupatus, Distributiones lucrabitur. Denique Pœnitentiaria vacante, nisi ad Sanctissimum pertineat collatio, concursus pro successore præeligendo habeatur.

Ca-

Casus Nobis reservati, de quibus supra, sunt sequentes.

I. Qui hæreticè, vel ex prava consuetudine blasphemaverint.

II. Qui Sacramentis, Sacramentalibus, & Sacris Reliquiis abutentur ad Maleficia, & Sortilegia cum invocatione Dæmonum expressa, vel tacita.

III. Qui in primo, & secundo gradu Consanguinitatis, vel in primo tantùm Affinitatis, seu etiam spiritualitatis gradu Incestum commiserint.

IV. Qui nefandum Sodomiæ Crimen consummaverint, vel passi fuerint masculi cum masculis, seu masculi cum fœminis, vel qui Bestialitatem commiserint.

V. Homicidæ Voluntarii, vel de industria Abortum facientes, Pueros suffocantes, vel ante annum in lecto tenentes.

VI. Sponsi, & Sponsæ, qui se carnaliter cognoverint ante Matrimonii celebrationem, seu simul cum scandalo cohabitaverint.

Casus reservati cum Censura.

I. Affictuarii, & alii quicumque Officiales Damnorum Datorum paciscentes, ut possint impunè pasci Animalia in locis prohibitis, aut aliàs damna injustè inferri, interveniente mercede.

II. Paciscentes cum Salariatis à Communitate de rata, vel quota Salarii, seu mercede, & retributione sibi danda, si eorum opera eligantur in Consilio, seu Adunantia in Medicum, aut Scholæ Magistrum.

CAP.

CAP. V.

De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

I. DIvinæ Gratiæ theſaurum dignè ſuſcipientibus elargiri, Sacramentis omnibus commune eſt: Gratiam ipſam, gratiæque Fontem Chriſtum Dominum, Panis, & Vini accidentibus velatum in ſe continere, Euchariſtiæ peculiare; congruè proinde vocabulo hujuſmodi, Græco idiomate nuncupatæ, quod *bona gratia* Latinè redditur. Quo igitur uſus eſt Dominus, ut divitias in nos Divini ſui amoris effunderet, memoriam faciens mirabilium ſuorum, hoc, utpote Sacramentis omnibus præſtantiùs, præ cæteris venerari convenit diligentiùs, & ſuſcipi honorabiliùs.

II. Servetur igitur perpetuò Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Eccleſiis Parochialibus, & Regularibus, in quibus regularis viget obſervantia, non verò in aliis Eccleſiis abſque Apoſtolica permiſſione (1), & quidem in Ara maxima cujuſcumque ex dictis Eccleſiis, utpote digniori habitaculo collocetur, ſi Cathedralem Eccleſiam excipias propter Pontificales Functiones in Tabernaculo, ſeu Ciborio, eleganti pictura, vel auro ſuperinducto præfulgenti, ſeu candido ſerico circumveſtito, ſuperaddito Conopeo albi coloris, ſeu currenti tempori adaptati.

[1] *Rot. in Taurinen. jur. Parochial.* 28. *Julii* 1658. *coram Molines* § Inſuper *impreſ. apud Pignatell. tom.*10. *conſult.*104.

III. Contineat Tabernaculum duas ſaltèm Pixides quoad cuppam ad minùs argenteas, intuſque deauratas, mundo corporali inſiſtentes, & ſerico velo, pretioſèque, quantùm fieri poterit, ornato contectas, quarum minor ad deferendum ægrotantibus cœleſte Viaticum deſerviat; Utraque occludatur con-

congruenti ostiolo, fideli sera, argenteaque, vel aurata saltèm clavi, à Parochis, & Ecclesiarum respectivè Superioribus diligenter custodiendâ.

IV. Sacræ Hostiæ in qualibet Pixide inclusæ octavo quoque die, sive congruentiùs unaquaque Dominica æstivo tempore, hyemali verò non ultra secundam hebdomadam renoventur, nè fortè diutiùs servatæ cum Sacramenti irreverentia marcescant. Ardeat è conspectu jugiter lampas, expensis Rectoris, Confraternitatis Sanctissimi Sacramenti, vel Communitatum, pro locorum consuetudine alenda, omnibus verò deficientibus [2], sumptibus Parochi.

[2] *Cap.* Sane *de celebrat. Missar. ubi DD.*

V. Publica expositio Venerabilis Sacramenti etiam in forma 40. Horarum in omnibus Ecclesiis, etiam Regularium permittitur, dummodo Ordinarii licentia, & publica rationabilis causa, ab eodem probanda intercedat; Pro privata verò causa, particularis videlicet Personæ devotione, infirmitate, vel simili occasione, si expositio fieri contingat, Sanctissimum Sacramentum non in solito Ostensorio, sed intrà Pixidem, albo velo contectam ad apertum Tabernaculi ostiolum adducatur, concurrenti Populo adorandum.

VI. In similibus autem casibus quotiescumque Venerationi publicæ exponetur, duodecim ad minùs luminibus ex alba Cera luceat Altare, ultra duos cereos in majoribus Candelabris hinc indè dispositis. A' Parocho, non autem à Sodalitatum Cappellanis fiat expositio, & detur benedictio, expositioneque durante coram Sanctissimo Sacramento duo Clerici Cottis induti, vel unus saltèm alternatim orationi genuflexi vacabunt, sive Presbyteri, ultra Cottam, Stolam collo circumpositam, & ante pectus

pendentem gestantes, vel duo Confratres sacco Confraternitatis induti: Et, ut Populus universus invitetur, poterunt singulæ familiæ, seu Personæ per schedulas, statuta hora, convocari, mulieribus tamen nocturno tempore nunquam admissis. Ecclesiæ janua, ab extra, vel intrà tapete apposito, ita occludatur, ut transitum quidem concurrentibus præbeat, aspectum verò Sanctissimi Sacramenti transeuntibus auferat; Oratione verò 40. Horarum expleta, Sacra Hostia in ultima Missa, vel in prima, sequenti manè consummetur. Cætera denique pro posse serventur, quæ in Instructione de mandato Sanctissimi D. N. Clementis XI. edita ab Eminentissimo Cardinali Vicario 20. Januarii 1705. continentur, ubi etiam inter alia plurima habetur ritus incensandi, & Populo (3) benedicendi. Quapropter consuetudo benedicendi ad illa verba Hymni: *Sit, & Benedictio*, si fortè alicubi vigeat, erit prorsus eliminanda.

VII. Postulat insuper tanti Sacramenti debita Veneratio, ut in Festo die Corporis Christi, perque totam subsequentem Octavam, quo potissimùm tempore ejusdem Institutio recolitur, ut in omnibus Diœcesis nostræ majoribus Ecclesiis Eucharisticus Panis tam matutino, quàm vespertino tempore, dum Divina Officia persolvuntur, vel alio congruenti spatio, omni, qua poterit, majori pompa, & ornatu, fidelis Populi adorationi exponatur, prævia solemni processione, ipso die Festo de manè solemniter ordinanda, sicuti in Cathedrali nostra laudabiliter servatur; & in Collegiata etiam Ecclesia Sancti Angeli Custodis nuper erecta die Dominica infra Octavam post vesperas servandum erit (4). Quòd si Majoris Ecclesiæ vires ad id non suppetant, à cæteris Parochialibus Ecclesiis, Sanctissimi Sacramenti Sodalitati-

[3] Relat. à *Monacell. p. 2. tit. 13. pag. 31. primæ editionis.*

(4) *Clement.* Si Dominum *de Reliqu. & Venerat. Sanctor. Trident. Sess. 13. cap. 5. & infra can. 6. Sac. Congreg. Episcop. 6. Augusti* 1591. *Item Sac. Congr. Conc. in Anagnina* 12. *Decembr.* 1676. *apud Petram tom. 4. pag.* 254. *n.* 44.

tibus, universoque Populo, collectis eleemosynis, id fieri omnino curetur per majorum Ecclesiarum Rectores, centuplum à Deo Optimo Maximo, cujus est Terra, & plenitudo ejus, in præsenti, & futuro sæculo reportaturos.

VIII. Feria Quinta, & Sexta Majoris Hebdomadæ Processio cum Hostia in Calice reservata, extra Ecclesiam non fiat. Caveantque Parochi, nè locus pro Domini Sepulchro destinatus pannis nigris, aut lugubribus circumvestiatur; curentque, ut Hostia lateat intrà Calicem, & capsulam clavi obstrictam, à Rectore, seu Sacerdote in crastinum celebraturo, non autem à Laicis quantumvis nobilibus, aut Jurepatronatus gaudentibus retinenda (5).

(5) *Sac. Congreg. Rit. in Paccensi 30 Januar. 1610. & in aliis relat. à Pignatell. tom. 6. consult. 87.*

IX. Ante Venerabile Sacramentum publicè expositum Concio, seu sermo non habeatur à Clericis, nisi Diaconali saltèm Ordine insignitis, neque, etiam à Sacerdotibus, nisi detecto capite, Cottaque, & Stola, vel regulari habitu sibi competenti indutis, etiam cum Stola, & stando.

X. Quod verò ad augustissimi hujus Sacramenti sumptionem attinet à Sacra Mensa arceantur parvuli ratione carentes, grandiusculi non sufficienter instructi, homines, armis non depositis, mulieres inhonestè comptæ, aut aliàs indecenter ornatæ; Amentes, nisi in lucidis intervallis, & sinè indecentiæ periculo, ab Ecclesiæ gremio quomodolibet abscissi, publici Peccatores, aut Peccatrices, Fœneratores, Blasphemi, Conjuges sinè legitima causa ab Ordinario approbata cohabitare renuentes, cæterique hujusmodi perditi homines nisi congruentia pœnitentiæ signa exhibuerint (6).

[6] *Catechism. Rom. p. 2. de Sacram. Eucharist. cap. 4. & seqq. & Rituale Rom. de SS. Eucharistiæ Sacramento* §. Fideles.

XI. Clerici singulis mensibus, Diaconi, & Subdiaconi sciant, maximè decere, si saltèm diebus Do-

minicis, & diebus ſolemnibus cum Altari miniſtraverint Sacram Communionem perceperint, juxta monita Sacri Concilii Tridentini Seſſ. 23. cap. 13. de Refor. vel ſaltèm bis in menſe communicent, nec non tertio quoque menſe de adimplemento fidem exhibeant. Sacerdotes, ſi quando Laicorum more Euchariſtiam ſumant, ſtola in modum Crucis utantur, ipſique, & Clerici ad Altare, Laici verò remotiùs, & ſi fieri poterit, ſeorſim à Mulieribus, accedant & præter Paſchalem communionem ab Eccleſia præceptam, curent Animarum Paſtores, ut in præcipuis, ſaltèm ſolemnitatibus Domini, Beatæ Mariæ Virginis, & Sanctorum, in Dominicis inſuper Adventus, & Quadrageſimæ, imò & frequentiùs omnes Sacra menſa reficiantur, juxta monita Sacræ Congregationis Concilii, Sa:Mem: Innocent. Papa XI. præcipiente, edita 12. Februarii 1679. & Ordinariis tranſmiſſa.

XII. Paſchali tempore, à Die Dominico Palmarum uſque ad Dominicam in Albis incluſivè regulariter computando, ex Conſtitutione 20. Eugenii IV. quæ incipit *Fide digna*, unuſquiſque in ſua Parochiali Eccleſia communicet (7); quòd ſi quis in alia, etiam in Cathedrali Eccleſia Sacramentum accipiat, abſque Ordinarii, vel Parochi licentia in ſcriptis obtenta, Paſchali præcepto non ſatisfaciet, inhærendo declarationi latæ pro Incolis Almæ Urbis à S. M. Innoc. Papa XI. 5. Februarii 1682. De adimplemento verò hujuſmodi præcepti docere unuſquiſque teneatur ad ſummum uſque ad Feſtum Aſcenſionis Domini, quo tempore Parochi Animarum ſtatum ad Nos tranſmittere debent. Qui ſecus fecerint, pluries privatim, poſtea ſuppreſſis nominibus in Eccleſia, deinde per Citationem ad Valvas cum Cenſurarum interminatio-

(7) *Cap.* omnis utriuſque ſexus *de pœnit. & remiſſ.*

tione à Parochis de præcepto absolvendo, moniti, ad Nos, seu Vicarium nostrum Generalem, unà cum Animarum statu deferantur, ut ad Censurarum fulminationem procedi possit contra contumaces. Regulares die Paschatis Resurrectionis Domini in eorum Ecclesiis Eucharistiam Sæcularibus ministrare prohibentur, etiamsi præcepto alia die satisfecerint, iteratis Sacræ Congregationis Concilii Decretis id fieri interdicentibus (8).

XIII. Feria Quinta Majoris Hebdomadæ Canonici Presbyteri, ac Clerici omnes cujuscumque Ecclesiæ per manus Celebrantis solemnem Missam Sacro Christi Corpore reficiantur, Dominicæ Cœnæ memoriam recolentes (9). Feria autem Sexta sequenti sumptio Sacri Panis infirmis tantummodo conceditur, cæteris omnibus denegatur à Sacra Rituum Congregatione, & Ecclesiæ Consuetudine à S. M. Urbano VIII. approbata.

XIV. Quotiescumque verò Parochi diurno, sive nocturno tempore Angelicum hunc Cibum Infirmis deferunt, Superpelliceum, Stolam, & nisi rationabilis causa excuset, Pluviale album induant, totumque iter aperto capite perficiant, parvo etiam pileolo deposito, infirmitate, frigore, vel senectute neutiquam suffragante, nisi aliter eis sit specialiter indultum, juxta declarationem Sacræ Congregationis Rituum ad quæsitum factum à Parochis Urbis, emanatam 13. Augusti 1695. Ad incendia extinguenda, tempestates avertendas, aut ad ægrotos, ut eum tantùm adorent, vel osculentur, non erit deferendus (10).

XV. Sacerdos Eucharistiam in infirmitate sumens, Stolam collo circumpositam adhibeat (11).

XVI. In eadem infirmitate sæpius Sanctissimum

Via-

[8] *Sac. Congr. Concil.* 23. *Januarii* 1586. & 14. *Martii* 1615. *apud Gavant. in Enchiridion. v.* Eucharistia & *in Mechlinien. Ministrationis SS. Eucharist. Sacramenti die* 31. *Januarii* 1682. & *in Burdegalen.* 9. *Junii* 1644.

[9] *Cap.* In Cœna Domini 17. *de consecrat. dist.* 2.

[10] *Sac. Congr. Episc.* 19. *Novembr.* 1575. *apud Nicol. Flosc. v.* Eucharistia *n.* 13. *Rituale Rom. de Communione Infirmor.* §. Sed alicui.

[11] *Cap.* Ecclesiastica *dist.* 23. *Ritual. Rom. de ordin. ministran. Sacr. Commun. vers.* Sacerdotes verò.

Viaticum poterit miniſtrari, dummodo per octiduum circiter diſtet una ab altera ſumptione. Imò Sacerdos, vel alius, qui ſanus de manè celebravit, vel communicavit, ſi in mortis periculum incidat, poterit eadem die Sacro Viatico iterato refici. Quoties verò Sanctiſſima Euchariſtia ad infirmos Pauperes defertur, colligantur à probo viro ad id deputato eleemoſynæ, quas Parochus Infirmo Sacro Pane refecto ſtatim conſignet, atque in peculiari libro adnotet juxta monita felic. recordat. Innocentii Papæ XII. Et generaliter in hujuſmodi Sanctiſſimi Sacramenti delationibus ad ægrotos, ea ad unguem ſervari volumus, quantùm fieri poterit, quæ in Rituali Romano, nec non in liberculo typis impreſſo de mandato ejuſdem S. M. Innocentii XII. præſcribuntur.

CAP VI.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

I. COllucationem habentibus nobis, totius vitæ labente curriculo, adversùs mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ (1), aſſiduoque certamine ſub extremo Vitæ exitu, à quo pendet Æternitas, acriùs ingraveſcente, quos Dominus miſerator Sacramentis cæteris viventes roboravit ad pugnam, eos in vitæ, & æternæ ſalutis diſcrimine conſtitutos, Sacri Olei præſidio robuſtiores inunxit Athletas (2).

(1) *Ad Epheſ.6. 12.*

(2) *Trid. Seſſ.14. doctrin. de Sacr. Extrem. Unct. & ibidem cap.1.*

II. Oleum igitur olivarum, ab Epiſcopo in die Cœnæ Domini ſolemniter benedictum, eſt hujus Sacramenti remota materia; proxima, Unctio, eodem Oleo adhibito, facta à proprio Miniſtro, qui regulariter eſt Parochus, vel alius Sacerdos ab eo deputatus,

tus. Forma, verba illa: *Per istam Sanctam Unctionem &c.* (3).

III. Ejus proprius effectus est peccati reliquias delere, atque abstergere, ægroti animam alleviare, & confirmare, magnam in eo Divinæ Misericordiæ fiduciam excitando, ad morbi incommoda patienter toleranda, mortis terrores vincendos, & Diaboli insidias calcaneo ejus insidiantis eludendas: Sanitatem etiam quandoque corpori infert, si quando id Clementissimo ejus Institutori Christo Domino saluti animæ visum fuerit expedire (4).

IV. Illis autem hujusmodi Sacramentum solummodo conferri debet, qui sunt Fideles, usu rationis pollentes, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentis, si tempus, & infirmitatis conditio permittat, muniti, & in extremo vitæ periculo ex ægritudine, vel senio constituti, non verò violenta morte decedentibus: Procrastinari tamen Sacra Unctio minimè debet, quoadusque ægri sensibus deficientibus animæ potentiæ penitus hebetentur; sed ratione fruentes, si fieri potest, ungantur, ut uberiorem Sacramenti gratiam uncti pia voluntas, & fides percipiat. In eadem infirmitate hocSacramentum non iteretur, sed convalescente ægro, & in idem vitæ periculum relabente, poterit iterum ministrari (5), servato congruo temporis intervallo, quod ad quindecim, vel viginti dies, prudentis viri arbitrio videtur extendi posse.

V. Partes inungendæ erunt Oculi, Aures, Nares, Os, Manus (Presbyteris quidem ab exteriori parte, reliquis ab interiori), Pedes, Lumbi, seu Renes, exceptis quoad hanc partem mulieribus, ob honestatem, & viris etiam, qui ob ægritudinem loco moveri præpediuntur.

VI. Ser-

(3) *Catechism. Rom. p. 2. de Sacr. Extr. Unct. n. 5. & 6. Ritual. Roman. de Sacram. Extremæ Unctionis.*

(4) *Trident. ubi supra cap. 1. & Can. 2.*

[5] *Catechis. ubi supra n. 11.*

VI. Servetur Sacrum Oleum Infirmorum in decenti loco, à custodia Eucharistiæ, & reliquis oleis sejuncto, in argenteo, vel stamneo, sed nitido vase, fida clavi obserato, & in ejus delatione ad Infirmos, Divi Caroli instructioni inhærendo, Sacerdos Cotta, Stolaque violacea induatur, & in bursa serica coloris item violacei cordulis è collo descendentibus colligata includatur, præcedente Clerico, item Cotta induto, Crucem sinè hasta, aquam benedictam cum aspersorio, & Rituale Romanum deferente. Reliqua exactè, religiosèque serventur, quæ circa hujus Sacramenti custodiam, delationem, ministerium, & infirmi ulteriorem curam, si morbum ingravescere, & mortem etiam sequi contingat, ab eodem Rituali præscribuntur.

VII. Præterea, ut ægroti in extremo conflictu laborantes, Fidelium precibus ad æternam salutem adipiscendam piè juventur, volumus, & expresse mandamus Parochis, ut statim ac Infirmum in agoniæ angustiis positum noverint, id Populo aliquot majoris Campanæ ictibus notum facere teneantur (6).

[6] Rituale Rom. in Ordine Commendat. Animæ in expiratione.

VIII. Caveant insuper Parochi, nè ejusdem Sacramenti beneficio destituantur eorum subditi, etiamsi amentes, delirio correpti, aut loquela, & auditu carentes, si præcedenter piè petierint, seu verisimiliter petiissent, nec in mortali constitutos omnino constet; aut Sacramento irreverentiam irrogaturos; iis dumtaxat ab ejus participatione exclusis, qui scandalosi Peccatores, aut à Dei Ecclesia segregati dignoscuntur. Pueris etiam rationis usu carentibus non est conferendum, cum eo non egeant, utpote spirituali ægritudine ex actuali peccato contracta carentibus [7]. Quod si Pastoris incu-

[7] Catechis. ubi sup. n. 9.

curia quemquam sinè Sacra Unctione decedere contingat, ultra Sacrorum Canonum pœnas, peculiaris ultio arbitrio nostro taxanda, ad hujusmodi delictum condignè perstringendum accedet (8).

[8] *Cap.* ex parte *de Cleric. ægrot. Can.* placuit, *&* *ibi glos.p.quæst.* 1.

IX. Monitos quoque volumus Sacramenti, de quo agitur, Ministros quoscumque, nè Crucem ad deferendam Sacram Unctionem Infirmis, ut supra, adhibendam, auferant, vel auferri faciant de Altaribus, ut non sinè eorumdem Altarium dedecore, & indecentia, ac non levi admiratione nostra quandoque fieri accepimus, sed unusquisque Parochus aliquot sibi Cruces ad id muneris destinatas habeat, cum Crucifixi imagine decenter, devotèque compactas, ut Infirmis osculandæ commodè exhiberi possint, eosque immaculati Agni cruciatuum recordatione, ad peccatorum suorum Contritionem, & perennis Vitæ desideria valeant excitare.

X. Denique unusquisque Parochus præsertim Diœcesis mittat quotannis pro Sacris Oleis gratis concedendis ad Cathedralem Ecclesiam Sacerdotem aliquem, vel saltèm Clericum in sacris Ordinibus constitutum, non verò laicum, qui ab eodem Parocho de Equi vectura ad minùs providendus erit; Isque tribus phialis argenteis, sive stamneis intrà decentem capsulam inclusis deferat, & deferentis nomen in Cathedrali adnotetur in libro. Regulares etiam à propria Cathedrali non aliunde, & ad eorum usum tantùm Olea recipere debeant (9). Utque solemnis Oleorum benedictio feria V. in Cœna Domini haberi solita majori, qua poterit, pompa, ac honore expleatur, à quolibet loco Diœcesis duos, vel unum saltèm Sacerdotem per turnum suis sumptibus ad hanc Cathedralem accedere volumus, & ad Cæremoniarii nutum sacræ eidem functioni operam conferre (10).

(9) *Ex Const.Clement.VIII. la* 57. *Bullar. tom.*3. *pag.*54.

[10] *Cap.* Presbyter95.*cap.*Presbyter qui *cap.* omni tempore *de consecr. dist.*4. *&* *apud Gavant. v.* Olea Sacra *n.*3.

CAP. VII.

De Sacramento Ordinis.

I. EA potissimùm ab hac sancta Synodo ordinanda esse dignoscimus, quæ ad Ordinis Sacramentum pertinent, cùm pleraque ad id spectantia in hac præsertim ditione nostra reperiantur inordinata. Currunt undique omnes promiscuè ad Sacros Ordines, & Clericali militiæ nomen dare gestiunt, non ut sint ipsi (quod Clerici nomen sonat) sors, seu pars Domini, seu Dominus pars ipsorum sit, possintque cum Psalmista dicere: *Pars mea Deus in æternum* (1), sed ut laicali potestati se subtrahant, *& possideant opes sub Christo paupere* (ait Hieronymus (2) *quas sub locuplete, & fallace Diabolo non habuerant, ut suspiret eos Ecclesia divites, quos Mundus tenuit ante mendicos.* Cùm tamen juxta ejusdem maximi Doctoris sensum (3): *Ignominia Sacerdotis sit, propriis studere divitiis, & monstro similis qui natus in paupere domo, & in tugurio rusticano, qui vix milio, & cibario pane rugientem saturare ventrem poterat, deinde similam, & mella fastidiat, sitque quasi quædam pestis fugiendus negotiator Clericus, & ex inope dives, & ex ignobili gloriosus.*

II. Quapropter, nè inposterùm Apostoli monitis posthabitis, manus temerè, & inconsultò imponantur (4), præsenti sanctione inconcussè observanda edicimus, ad Clericalem Tonsuram neminem deinceps à Nobis admittendum, nisi probabilem conjecturam præseferat se ad Clericalia munia pro Dei famulatu, & Ecclesiæ utilitate, non verò pro temporali quæstu, humanisque respectibus aspirare (5). Infrascriptis insuper polleat requisitis, & ido-

[1] *Psalm. 72. 25*

(2) *Ad Nepotian. Epist. 12. inter selectos Canisii.*

(3) *Ibidem infra.*

(4) *1. ad Timoth. 5.*

(5) *Conc. mediol. 5. & apud Crisp. de Sac. Ordinat. §. 4. n. 12. & seqq. & §. 17.*

idoneis facultatibus ad studia prosequenda, ut se ad minores, majoresque Ordines adipiscendos dignum, atque aptum exhibeat, ac disponat. Quæ quidem requisita tam pro Tonsura, quàm pro ulterioribus Ordinibus erunt infrascripta.

Pro Prima Tonsura.

I. Fides Baptismi pro ætate septem annorum completorum.

II. Fides Confirmationis.

III. Examen testium pro legitimis Natalibus, Vita, & moribus, & approbatio juxta Trident. Sess. 23. cap. 4. de reform.

IV. Fides Ludimagistri de studio, & spe profectus.

V. Fides Parochi de Vita, & moribus, ac Doctrinæ Christianæ frequentatione, ac de denunciatione nominis, cognominis, & desiderii facta in Ecclesia suæ Parochiæ, & quoad Adultos de usu Sacramentorum.

VI. Quoad eosdem Adultos fides sæcularis Judicis, seu Tribunalis, quòd promovendus inquisitus, seu processatus non fuerit.

Communia pro omnibus Ordinibus.

I. Fides, seu Testimonialis de Clericali habitu, & Tonsura assiduè gestatis, ac de prima Tonsura, seu præcedenti Ordine jam suscepto, anno quidem præcedenti quoad Sacros Ordines, nisi Ecclesiæ utilitas, vel necessitas aliud suadeat.

II. Testimonialis Parochi de servitio præstito Ecclesiæ, cui sunt adscripti, susceptique Ordinis exercitio,

Doctrinæ Christianæ, Sacramentorum, & collationum Casuum Conscientiæ frequentatione, nec non interessentiæ in supplicationibus, seu Processionibus tam pro publicis, quàm pro privatis causis, & associatione Sanctissimi Viatici indictis.

III. Fides Ludimagistri de Studiorum prosecutione, & profectu.

IV. Examen, & approbatio.

V. Si Ordinandus sit exterus, Litteræ dimissoriæ etiam pro prima Tonsura contineant causam, ob quam à proprio Episcopo ordinari non possit, aliàs non admittetur, Concil. Trident. Sess. 7. cap. 11. de reform.

VI. Fides de exercitiis spiritualibus per decendium continuum in aliqua Domo Religiosorum à Nobis designanda peractis, ex Decreto Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium jussu S.M. Innoc. XI. 9. Octobris 1682. & Innoc. XII. 14. Junii 1697. Et pro Accolytatu addatur fides ætatis duodecim annorum expletorum.

Pro Subdiaconatu.

I. Beneficium, vel pro necessitate, aut commoditate Ecclesiarum, ut infra Pensio Ecclesiastica, vel Patrimonium in bonis stabilibus liberis, & fructiferis, annui redditus juxta taxam hujus Diœcesis saltèm scutorum triginta monetæ (6).

II. Attestatio Parochi de publicationibus tituli, ad quem unusquisque ordinari cupit, ejusque sufficientiæ, tribus diebus festivis interpolatis inter Missarum solemnia habitis, nec non nominis, & desiderii Personæ ordinandæ.

III. Ætas viginti duorum annorum incœptorum (7).

(6) *Synod. Anagnina Masserii cap. 19. de Sacr. Ordinis* §. 3.

(7) *Trid. Sess. 23. de reform. cap. 12. & 13.*

III. Por-

III. Porrò ut fraudibus, quæ in Sacrorum Ordinum susceptione, quoad Beneficiorum, Pensionum, seu Patrimonii sufficientiam, & veritatem occurrere solent, statuimus, nullum Clericum sæcularem, quantumvis scientia, ætate, & moribus idoneum posthac ad Sacros Ordines promovendum fore, nisi Ecclesiasticum Beneficium ad honestum victum sufficiens, juxta enunciatam taxam pacificè possidere per legitima documenta constare faciat; Patrimonii verò, seu Pensionum titulos non facilè admittemus, nisi pro Ecclesiarum necessitate, aut commoditate aliter duxerimus arbitrandum, sacri Concilii Tridentini dispositioni enunciatæ, & litteris Encyclicis sacræ Congregationis Concilii ejusdem 3. Maji 1679. emanatis inhærentes (8).

(8) *Impress. apud Monacell. p. 1. in append. pag. 328. primæ editionis.*

IV. Ad Patrimonii verò titulum, si quem duxerimus promovendum, is jurejurando affirmet, eumdem titulum pacificè possidere, & esse verum, realem, & non fictitium, contra pejerantes suspensionis pœnam ipso facto incurrendam indicimus.

V. Præterea Patrimonia hujusmodi constituentes, jurent etiam in actis coram Vicario nostro Generali, constitutiones ab ipsis factas esse veras, & reales, nullumque inter ipsos, & Ordinandos pactum, collusionem, seu simulationem intercessisse; Perjuri latæ sententiæ Excommunicatione detineri se sciant.

VI. Periti quoque æstimatores Patrimonii, & Testes, qui de qualitate fructuum deponunt, fraudolenter se gerentes, quidquid taxato patrimonio deesse compertum fuerit, de proprio supplere teneantur, & ulterius de perjuro se noverint puniendos, eaque omnia in prælibatis denunciationibus publicè notificentur, & in actorum processu per Episcopalem Can-

cel-

cellarium postmodum redigantur.

VII. Donationes à Parentibus simul cum fratribus Ordinandi pro Patrimonio constituendo factas rejiciemus, nisi Donantes aliunde vivere, & honestè pro sui gradus qualitate sustentari posse constare faciant (9).

(9) *Sac. Congreg. Conc. in Cesenat. Synodi 26. Febr. 1695.*

Pro Diaconatu.

I. Testimonialis de Denunciationibus in Parochiali Ecclesia factis, quod item pro Presbyteratu repetitum intelligatur.

II. De ætate viginti trium annorum incœptorum.

III. De pacifica possessione, & fructuum perceptione Beneficii, seu Pensionis, aut Patrimonii, ad cujus titulum fuit ordinatus, quod etiam pro Presbyteratu necessarium est, & respectivè de exercitio Ordinis jam suscepti.

Pro Presbyteratu.

I. Testimonialis de ætate viginti quinque annorum incœptorum. Cum cæteris requisitis superiùs expressis.

VIII. Regulares in Diœcesis nostræ Conventibus degentes ad Paupertatis titulum ordinandi, requisitis præmissis per suorum Superiorum Testimoniales litteras satisfacient, quæ etiam de Professione ab Ordinando juxta eorum Regulas emissa testentur, & ita examini subjicientur. Caveant tamen Regulares ipsi, nè ab Ordinario Diœcesano ab Ordinibus rejecti ad aliumEpiscopum à suis superioribus dimittantur, alioquin juxta Decretum S.M. Clementis VIII. suspensionem incurrent, donec à Diœcesano Episco-

ſcopo abſolutionis beneficium obtinere mereantur.

IX. Ut autem frequentibus eorumdem Regularium reclamationibus ſuper nullitate Profeſſionis, vi vel metu, ut prætendunt, emiſſæ, conquerentium occuramus, Divi Caroli veſtigia proſequendo, ab Ordinandis ſingulis juramentum exigemus propria eorum manu ſcriptum, atque ſubſcriptum, & in Actis Cancellariæ aſſervandum, in quo declarent, ſe ipſos ſpontè, & libera voluntate in eorum Religione Profeſſionem emiſiſſe, aut ratam habuiſſe (10).

[10] *Conc. Prov. Mediol. 2. p. 1. tit. 1. decret. 23.*

X. Cæterùm ab Ordinum ſuſceptione repellantur non Baptizati, non Confirmati, Illegitimi, Minores natu, Neophiti, Uxorati, Bigami, Criminoſi, Infames, publicis rationibus Impliciti, Servi, Eunuchi, corpore Vitiati inſigniter deformes, Amentes, & furioſi, Energumeni, Peregrini, & Ignoti, ebrietati, & gulæ Dediti, Uſurarii manifeſti, Rudes, & ignari, Irregulares, Suſpenſi, Interdicti, Excommunicati, morbo comitiali Laborantes, Lanii, Caupones, Mimi, & Hiſtriones, atque Ii, qui ſævis ſe immiſcuerunt, ſecuta pœna, vel mutilatione.

XI. Quicumque verò ad majores Ordines erunt pro tempore aſſumendi per menſem ante Ordinationem habendam, coram Nobis ſe ſiſtant, ut de eorum requiſitis certiores facti, eorum Parochis prævias Publicationes injungere valeamus, ad inquirendum numquid perſonæ promovendæ, aut ejus titulo, ad quem ordinari poſtulat, aliquid obſiſtat, cæteriſque opportunè providere poſſimus (11).

(11) *Trid. Seſſ. 23 de refor. cap. 5.*

XII. Ad Ordines quoſcumque ſuſcipiendos ſinè prævia Sacramentali Confeſſione nullus accedat, & in Pontificali Miſſa Euchariſticum Panem unuſquiſque devotè ſuſcipiat.

CAP.

CAP. VIII.

De Sacramento Matrimonii.

I. MAtrimonium, quatenùs ad ſobolis procreationem ordinatum, in ſtatu innocentiæ, & in Terreſtri Paradiſo inſtitutum (1): quatenùs naturæ peccati vi vulneratæ remedium, in lege naturæ, & ſub Moyſis diſpoſitione ordinatum; quatenus verò Chriſti, & Eccleſiæ conjunctionem per Incarnationis myſterium refert, in nova lege à clementiſſimo Redemptore noſtro initium habuit, cujus determinatione, de contractu purè civili, ad Sacramenti dignitatem elevatum, ſanctificantem Gratiam dignè ſuſcipientibus confert, eoſque confirmat, & roborat ad matrimoniale onus ferendum, tam in mutua charitate inter Jugales ſervanda, quàm in ſobole in via mandatorum ritè inſtituenda, ac manuducenda. Magnum proinde Sacramentum ab Apoſtolo jure dictum (2), & veneratione præcipua cum cæteris recolendum.

(1) *Geneſ. 2. Matth. 19. cap.* Confraternitatis *quæſt. 10. cap. Unic. de vot. in 6. Trid. Seſſ. 24. cap. 1. de Sacr. Matr.*

(2) *Ad Epheſ. 5. verſ. 3.*

II. Quapropter æquum omnino eſt, ac rationi conſonum, ut Matrimonio jungendi, Fidei noſtræ rudimenta calleant, vel ſaltèm Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Apoſtolorum Symbolum, & Præcepta Decalogi memoria teneant, in quo Parochorum zelus, & diligentia maximè elucere debet, qui tamen monitionibus etiam comminatoriis utantur; Vi tamen uti, à Matrimonii contractu repellendo, vel pignoratitiam cautionem exigendo, Sacra Congregatio Epiſcoporum non laudat, & in hoc etiam ſenſu Ritualis Romani diſpoſitio erit intelligenda. Si verò adeò ignari occurrant, ut neſciant myſteria Fidei credenda neceſſitate medii, cùm iſti

ſint

ſint abſolutionis Sacramentalis incapaces ex propoſit.64. damnata à S.M. Innoc. XI. Parochus eoſdem faltèm circa dicta myſteria inſtruere debet omni meliori modo antequam in matrimonium conjungat, aliàs etenim ſacrilegium committerent.

III. De Matrimonio igitur celebrando moniti Animarum Paſtores antequam ad denunciationes deveniant, ab eodem Rituali ad normam Sacri Tridentini Concilii de hoc Sacramento tradita, maturè, & non oſcitanter perpendant, contracturos excutiant, an aliquo impedimento ex affinitate, conſanguinitate, ſpirituali cognatione, aut alio quocumque capite reſultante, teneantur, quæ proinde impedimenta, ſeu dirimentia, ſeu impedientia tantùm ex eodem Concilio, & probatis auctoribus addiſcant, & in hiſce caſibus rem ad Nos deferant, ut difficultati opportunè occurri valeat. Ab impedimentis ſolutos Contrahentes ſingulariter de eodem libero conſenſu interrogent, & Parentum etiam beneplacitum obtinere hortentur, quod licèt de neceſſitate quoad validitatem non requiratur, exigitur tamen ex maxima honeſtate, & convenientia, nè nuptiæ invitis Parentibus celebratæ odii fomitem, & inimicitiarum incendia miniſtrent (3).

[3] *Catech. Rom. p.2. de Sacram. Matrim. n.32.*

IV. Sponſorum ulteriùs legitimam ætatem diligenter perquirant, an ſcilicet mares decimum quartum, fœminæ duodecimum utique completos annos omnino attingant, tametſi malitia, & prudentia ſuppleret ætatem, minimum tempus ad ætatem legitimam deeſſet, aut alia ſubeſſet urgentiſſima cauſa; Hæc etenim, & ſimilia Sede Apoſtolica inconſultâ, & reſpectivè Ordinarii declaratione non accedente, neutiquam ſuffragarentur (4).

(4) *Cap.* ex litteris *de deſponſ. Impuber. cap.* continebatur *eod. tit.*

V. Quibus omnibus ſervatis, trinæ denunciatio-

nes,seu proclamationes in utriusque Sponsi Parochiali Ecclesia, prævia Ordinarii licentia, fiant tribus Festivis diebus continuis quidem, sed aliqua saltèm die inter unam, & aliam interpolante, ut Populus commodiùs impedimenta perscrutari, & si quæ sint, revelare possit.[5]Ferialibus diebus non fiant nisi rationabili de causa à Nobis, vel Vicario nostro Generali specialiter probanda, & tunc in Populi concursu. Neque eadem die, qua tertia denunciatio emissa fuerit, ad Matrimonii celebrationem procedatur, sed ad sequentem saltèm diem differatur, nisi Adventus, vel Quadragesimæ prohibita tempora immediatè sequentia Nobis, vel Vicario Generali nostro aliter fieri suadeant.

[5] *Conc. Colon. & Maguntin. teste Pontio lib.5. cap.30. n.8.*

VI. Quòd si denunciationibus peractis Matrimonium ultra bimestre differri contigerit, repeti trinas denunciationes easdem, ac iterari necesse erit antequam ad Matrimonium (6) procedatur.

(6) *Rit. Rom. de Sacram. Matrim.* §. Si vero.

VII. Proclamationes tempore prohibito fieri licet,sicut & Matrimonium,pro quo tamen mandamus, ut priùs obtineatur Ordinarii licentia in scriptis, & tunc sinè choreis, cantibus, conviviis, cæterisque lætitiæ signis. Prout etiam ad Tribunal nostrum recurrendum erit, si denunciationibus cœptis, seu pendentibus, aliquod emergat impedimentum, seu impedimenti dubitatio, ulterioribus proclamationibus interim suspensis; seu si alter ex Jugalibus ex aliena Diœcesi accedat, vel in aliena Diœcesi in viduitate remanserit, sive aliàs quomodolibet abfuerit, itaut alibi contrahere potuerit, aut vagus, & exterus fuerit, ut ejus liberi status Testimonium à proprio Ordinario exaratum recognoscere, seu aliter pro facti contingentia providere valeamus (7). Si verò Sponsi quarto, & quinto consanguinitatis, vel affi-

(7) *Trid. Sess.24. cap.7. de refor.*

affinitatis gradu invicem ſint conjuncti, vel ſe attineant, eſto quòd nullum adſit impedimentum, cùm remotior gradus ſit attendendus; nihilominus ad omnem Populi murmurationem tollendam, ad Nos recurrendum eſſe volumus, qui prædictum quartum gradum declarabimus non obſtare (8).

[8] *Cap. final. de conſanguinit. & affin.*

VIII. Matrimonia in Eccleſia, quæ proprius eſt Sacramentorum locus, poſt ſolis ortum, vel ante ejus occaſum ſinè muſicis inſtrumentis, cantibus, aut ſimilibus profani gaudii ſignis, ſed Sponſis Pœnitentiæ Sacramento expiatis, ſacraque Communione intrà triduum ad ſummum ante refectis, ut Sacramenti gratiam, cujus ipſi ſunt Miniſtri, & ſubjectum recipere valeant, neque aliis loco, tempore, ac modo celebrentur, niſi ſecus Nobis, aut Vicario noſtro fuerit viſum. Quæ verò circa benedictiones nuptiales à Rituali Romano præſcribuntur, exactè ſervari volumus, & mandamus.

IX. Succeſſivè Matrimonii partita in peculiari libro ad id deſtinato deſcribatur cum expreſſione Contrahentium, quoad nomen, & cognomen; item duorum, ſeu trium Teſtium adhibitorum, ac loci, & temporis Matrimonii contracti, adjectis utique diebus factarum denunciationum. Hæc autem deſcribendi ratio juxta circumſtantias varietur, veluti ſi denunciationes, vel earum aliquæ ex Ordinarii diſpenſatione fuerunt omiſſæ, vel Conjuges fuerunt auctoritate Apoſtolica ſuper aliquo impedimento diſpenſati, ſive alius Sacerdos de ipſius Parochi, vel Ordinarii licentia Matrimonio adſtiterit: Tunc enim Parochum ſcribere, & ſubſtitutum ſubſcribere cautum erit, & ſic de cæteris (9).

[9] *Trid. Seſſ. 24. de refor. matrim. cap. 1.*

X. Gratis omnino, nullaque præcedente pactione, aut exactione, Parochi Matrimonio aſſiſtant, ip-

ipso hac de causa nullatenus retardato, quacumque consuetudine in contrarium non obstante (10). Post contractum verò Matrimonium, à sponte, & liberaliter tantummodo dantibus, aliquid muneris cum debita decentia recipi, Taxa Innocentiana non prohibente, non prohibemus.

XI. Quicumque autem Matrimonio jungi postulaverint, obtinere debent licentiam Ordinarii in scriptis, prævia productione fidei Baptismatis, ac examinatis priùs Testibus super eorum statu libero in Episcopali Curia ad normam Instructionis Sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis inferiùs imprimendæ: Quoniam agitur de re gravi, & de evitandis Polygamiis, ac impedimentis Matrimoniorum, ex quibus Fidei Catholicæ, & Reipublicæ Christianæ gravissima damna inferuntur (11). Quo verò ad mercedem, sive pro examinibus Testium, sive pro executione Dispensationum matrimonialium, solus Cancellarius mercedem recipiat ad præscriptum Taxæ Innocentianæ tantùm, & non ultra.

XII. Quod si fortè quempiam in mortis articulo constitutum reperiri contingat, qui conscientiæ stimulis ductus ad famæ damna sarcienda, & prolem legitimandam, propriam Concubinam desponsare vellet, & ad Nos per temporis, aliarumque circumstantiarum angustias pro denunciationum dispensatione facilis non detur accessus, si Parocho constet de eorum libero statu, eosque nullo canonico impedimento ad id perficiendum præpediri, licebit eidem hujusmodi Matrimonio assistere, idemque Sacri Concilii, quoad cætera ritu servato, in facie Ecclesiæ solemnizare (12).

XIII. Curent animarum Pastores, nè Sponsi ante Matrimonium per verba de præsenti servatis servandis,

[10] *Cap.* Cum in Eccles. *de Simon.*

[11] *Sac. Congr. Inquisit. per litter. nobis datas sub die 15. Augusti 1711. rejecta instantia Communit. Carpineti petentis examinari Testes in loco.*

[12] *Ita censuit Sac. Cong. Conc. in Mediolanen. 23. Februar. 1630. apud Corr. prax. dispens. lib. 7. cap. 7. n. 28.*

dis contractum, sese, Parentibus, seù Consanguineis absentibus, & citra urbanitatis, & convenientiæ leges visitent, neque inter eos mutua conversatio, aut familiaritas intercedat, minùsque sub eodem tecto pernoctent, propositis pœnis arbitrio nostro infligendis (13). Si qui autem, eorum monitione spreta, futuræ Sponsæ commisceri, eamque carnaliter cognoscere non erubuerint, aut cognosci passæ fuerint, excommunicationis latæ sententiæ, Nobisque reservatæ, & deducatur ad forum externum, pecuniarias etiam in pios usus convertendas, seu corporis etiam afflictivas pœnas pro circumstantiarum qualitate se noverint incursuros.

(13) *Trid. Sess. 24 cap. 1. de reform. Sac. Cong. Conc. in Sipontina Visit. Sac. limin. 22. Maji 1664.*

XIV. Conjuges denique sinè legitima causa, à sacris Canonibus, & Ecclesiæ judicio probata, cohabitare renuentes, ad maritalia obsequia, & pristinum convictum reverti hortentur Parochi; Inobedientes, & contumaces ad Nos deferant, ut opportunioribus remediis primævæ societati eosdem restituere valeamus (14).

[14] *Sixtus V. Cõst. 46. incip.* Ad cõpescendũ §. 2

CAP. IX.

De Sacrosancto Missæ Sacrificio, & Missarum Celebratione.

I. VEteri illo Sacrificio, quo per hircorum, & vitulorum sanguinem Omnipotenti Deo honor adhibebatur & obsequium, sub naturæ, & Moysis lege delitescente, & per cruentam postmodum immaculati Agni victimam in ara Crucis pro mundi piaculis oblatam, deleto penitùs, atque abrogato, Panis, & Vini Eucharistica munera Æternus Sa-

Sacerdos secundùm Ordinem Melchisedech, Æterno Patri offerre nos docuit, per quæ oblati, atque effusi in Cruce pretiosi Corporis, & Sanguinis incruenta memoria quotidie renovata fieret nobis immaculata Hostia salutare animæ nutrimentum, criminum propitiatio, Deo Optimo Maximo Sacrificium, novum redolens odorem suavitatis.

II. Ut igitur tam Sacrosanctum, Divinumque Mysterium, cui Angelici quoque spiritus revelata facie interesse verentur, pariter & contremiscunt, Missæ nomine à nostris Patribus appellatum, ea, quæ decet honoris, ac reverentiæ specie pertractetur, eaque omnia, quæ ad id muneris pertinent, debito ordine dirigantur; Statuimus, atque sancimus, ad Missæ Sacrificium celebrandum accedere nemini Sacerdotum posthac licere, nisi tonsuram, seu coronam in capite gerat, pedibus calceatus accedat, ac talari veste indutus, vel saltèm superiori veste ab humeris ad talos usque descendente; Quarum una etiam in singulis Sacrariis asservetur pro exterorum, atque itinerantium Sacerdotum commoditate dumtaxat, non autem pro Sacerdotibus Diœcesanis, sive Incolis [1].

III. Annulum in digito nemo deferat, tametsi Doctorali gradu, aut Ecclesiastica Dignitate, Episcopali inferiore præfulgeat [nisi fortè ex Apostolica concessione ei sit datum] etiamsi Protonotarius honorarius annulo absque gemma uti velit [2]. Pileoli etiam usus sinè speciali privilegio Sacerdoti celebranti, & multò magis Diacono, & Subdiacono ministrantibus est interdictus, neque eo, qui tali facultate potitur, uti valet à Præfatione usque ad sumptum Sacramentum, nec ad versum — *Et incarnatus*

(1) *Juxta Edictum Emin. Urbis Vicarii* 10. *Octob.* 1681. *apud Crispin. Visit. Pastoral. p.* 3. §. 5. *Sub n.* 3.

(2) *Sac. Cong. Rit.* 13. *Februar.* 1623 *&* 10. *Novembr.* 1628.

tus est, aut cùm Populo benedicit: Canonicis verò in Choro assistentibus permittitur, toto Canone excepto [3].

[3] *Sac. Congreg. apud Nicol. flosc.* v. Pileolus.

IV. Parochis Sanctissimum Sacramentum Infirmis deferentibus, ullo unquam tempore, aut ulla prorsùs de causa, nisi ex privilegio pileoli usus concedi potest ex Sacræ Rituum Congregationis Decreto [4]. Minùsque liceat Celebranti adscititiâ comâ uti, S.M. Innoc. XI. & Alexandri VIII. Innocentii XII. & Sanctissimi D.N. Clementis XI. Decretis obsistentibus; Extra Sacrificii verò tempus ex justa causa ab Ordinario approbanda, secluso luxu, aut vanitate hujusmodi usus permitti poterit.

(4) *In Romana, seu Urbis 13. Augusti 1695.*

V. Nullus Sacerdos Episcopo inferior celebraturus paramenta de Altari extra necessitatis casum sumere præsumat, sed in Sacristia induatur, vel in Sacristiæ defectu, mensa ad hujusmodi usum prope Altare aptetur [5]. Neque ante Matutinas preces persolutas regulariter celebret, juxta præscriptum Missalis Romani, quas quidem in Choro sub gravis culpæ reatu ante conventualem Missam recitandas esse compertum est.

(5) *Sac. Cong. Rituum 7. Junii 1622.*

VI. In Altari, in quo fit Sacrum, Crux cum Imagine Crucifixi medium locum teneat, tametsi in Icone ejusdem Altaris ipsius Crucifixi effigies adoretur, aut Sanctissimum Sacramentum in tabernaculo ibidem asservetur [6]. Item geminum lumen adhibeatur ex cera alba, si diem Parasceves, & Defunctorum Missas excipias.

(6) *Sac. Cong. Rit. in Senarum 14. Maji 1707.*

VII. Ut autem unusquisque Sacerdos ad Rubricarum præscriptum se ritè in celebratione conformet, easdem Rubricas sæpe relegat, & occurrentes defectus diligenter corrigat ad normam liberculi, cui titulus -- *Specchio Sacerdotale per correggere i di-*

i difetti nella Messa privata, quem omnibus Diœcesis nostræ Ecclesiis distribuendum curavimus, in Sacrariis super genuflexoriis appensum retinendum.

VIII. Presbyteris primam Missam celebrantibus non prohibet Sacra Congregatio eam canere, & ad Populum post Offertorium se convertere, recipiendo oblationes à sponte dantibus; Ab Altari verò discedere, per Ecclesiam deambulare, & similia, extorsiones, & turpem quæstum redolentia interdicuntur[7]. Novæ tamen Missæ celebrationem præcedere debet specialis nostra, seu Vicarii nostri licentia, prævio examine quoad Rubricarum peritiam, gratìs, & in scriptis danda; Primâque Missâ celebratâ, alterius Sacerdotis assistentia per octiduum saltèm adhibeatur.

[7] *Sac. Congreg. Episc. in Januen.* 11. *Octobr.* 1601.

IX. Singulis diebus, vel saltèm Dominicis, & Festis celebretur tam in Civitate, quàm in Terris Diœcesis, ubi sufficiens adest numerus Sacerdotum, una Missa in aurora pro Pauperum, & Rusticorum, nec non Viduarum, & Nobilium decentibus indumentis carentium commoditate, in qua Celebrans præcipuas Doctrinæ Christianæ partes explicet [8].

[8] *Sac. Congreg. Episc. in Vestana* 18. *Febr.* 1592. *arg. c.* necesse *de consecrat. dist.* 1.

X. Missæ celebrentur Festis præcipuè diebus convenienti ordine, maximè in Cathedrali, & Parochialibus una post aliam, vel saltèm altera incipiat post elevationem Sanctissimi Sacramenti præcedentis Missæ, ut Populi commoditati consulatur.

XI. In nocte Nativitatis Domini post primam Missam, alias duas immediatè celebrare, aut Fidelibus confluentibus Eucharistiam distribuere etiam in Regularium Ecclesiis, à Sacra Rituum Congregatione est iteratò [9] interdictum, cui consonant Sacræ Con-

[9] 20. *Aprilis*, & 7. *Decembr.* 1641. 9. *August.* 1653. & 20 *Aprilis* 1664.

Congregationis Visitationis Apostolicæ Decreta[10]. Feria quinta Majoris, seu Sanctioris Hebdomadæ unica tantùm Missa solemnis in Ecclesiis Parochialibus celebretur, reliqui verò Sacerdotes, & Clerici à Celebrante Eucharistiam devotè recipiant [11], ad Dominicæ Cœnæ memoriam recolendam. Nec non Sabbatho Sancto Missas privatas in Ecclesiis, vel Oratoriis, quacumque consuetudine non obstante, celebrari prohibuit Sacra Congregatio Rituum, Sanctissimo approbante (12).

[10] 7. *Decembr. 1702. relat. unà cum Edicto Emin. Vicarii apud Monacell. p. 2. form. 3 sub n. 20.*

[11] *Cap.* In cœna Domini 17. *de consecr. distinct. 2.*

[12] 11. *Februar. &* 11. *Martii 1690.*

XII. Parochi singulis Dominicis, & Festivis diebus de præcepto, celebrare tenentur, & celebrari facere in Parochialibus unitis (13); Quòd si Cappellanorum copia non suppetat, aut alia legitima causa detineantur, alternatim saltèm in alterutra celebrent, quatenùs populo incommodum non afferant; sciantque, se dictis diebus pro Parochianis Sacrificium applicare omnino adstrictos, nec ab aliis stipendium recipere posse, etiamsi sint Curati amovibiles, & stipendium incertum, & infra congruam percipiant; cùm potius in tali casu Superioris officium, & auctoritatem implorare possint, ut Parochiani necessaria ad sustentationem suppleant, juxta iteratas declarationes Sacræ Congregationis Concilii (14). Neque Parochi Cathedralis & Collegiatarum à prædicto onere excusantur per Conventualem Missam ab ipsis, seu ab aliis per turnum cantatam, sed ultra Conventualem Dominicis, & Festis diebus tenentur per se, vel per alium pro Parochianis Sacrificium applicare (15), licèt in Cathedrali nostra oneri Missæ Parochialis suppleat Capitulum, penès quem residet Cura habitualis, etiam vigore Decreti bo. me. Episcopi Joannis Laurentii Castillionei 24. *Octobris* 1668.

[13] *Sac. Congr. Episc. in Nullius Mercatelli* 23. *Decembr.* 1603.

[14] *In Civitat. Castellan. 26. Augusti* 1628. *in Lucana* 10. *Maji* 1681. *&* 10. *Maji* 1692. *in Pampilonen.* 18. *Novembr.* 1702. *&* 31. *Maji* 1704. *& in Camerinen.* 28. *Junii* 1704.

[15] *Sac. Congr. Conc. in Viterbien.* 31. *Martii* 1708.

XIII. Canonici, cæterique Beneficiati pariformiter pro Conventualibus per turnum ipsis contingentibus, aliud ſtipendium, ſeu eleemoſynam ab aliis recipere non poſſunt, cùm teneantur illas applicare pro Benefactoribus ex generalibus Decretis de celeb. Miſſar. S.M. Urbani VIII. ſub §.4.

XIV. Diebus etiam Feſtis extra proprias Eccleſias Parochi non celebrent, & pro celebratione horam Populo commodiorem ſtatuant, neque eam in alicujus gratiam invertant. Et licèt Parochiani ad audiendam Parochialem Miſſam, ex Tridentino, non ſint cogendi, ſed tantùm hortandi, id tamen fieri Parochi pro poſſe curent, ut plebs Fidelium ſui Paſtoris voces audiat, Fidei myſteria ad ſalutem neceſſaria, & ſalutaria monita percipiat, nec non denunciationibus Matrimoniorum, Feſtorum, Indulgentiarum, Edictorum, & cæterorum interſit, quæ per Parochos de more publicantur. Eaque de cauſa in Eccleſiis campeſtribus, ſeu ruralibus Miſſarum celebrationem non ita de facili permittemus; & ſi fortè id permitti contigerit, ſolemniores anni Feſtivitates excipientur, nè debito obſequio Parochiales Eccleſiæ fraudentur, nec memoria ſubjectionis à Parochianis amittatur.

XV. Quod attinet ad ſatisfacienda Miſſarum onera à Benefactoribus relicta, Miſſæ celebrentur in Eccleſia, & Altari à Benefactore, ſeu Teſtatore præſcriptis, nè eorum lex eludatur, niſi locus determinatus impeditus ſit, vel Eccleſia diruta: Juſta tamen, & urgentiſſima cauſa interveniente, & in caſibus proviſionalibus, ſeu donec loca reaptentur, de Epiſcopi licentia poterunt aliò transferri, abſolutè verò, & regulariter transferri nequeunt abſque Sedis Apoſtolicæ Indulto (16).

[16] *Ex facultate concessa à Tridentin. Seſſ. 22. cap. 6. de reform.*

XVI. Hu-

XVI. Hujusmodi autem onera perpetua non recipiantur à sæcularibus absque Ordinarii licentia in scriptis obtinenda sub pœna Interdicti ab ingressu Ecclesiæ, eo ipso incurrenda: A' Regularibus verò sinè licentia Provincialis in scriptis utique impetranda sub pœna privationis Officiorum, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, vocisque activæ, & passivæ, absque alia declaratione incurrenda, ex Decretis Sacræ Congregationis Concilii, & Summorum Pontificum Constitutionibus; Quòd si relicta cum Missarum onere, consistant in pecunia, seù mobilibus, constito, quòd ea oneribus correspondeant, prævia exhibitione particulæ authenticæ legati, eadem mobilia, seu pecuniæ investiri mandabimus in bonis immobilibus, & fructiferis, cum expressa, & individua mentione oneris illis adnexi [17].

[17] *Juxta Constit. Urb. VIII. de celeb. Missarum* §. 6.

XVII. De ipsis verò oneribus tam perpetuis, quàm ad tempus conficiatur Tabella in Sacristia publicè exponenda, cum expressione nominis Benefactorum, Dotis assignatæ, numeri Missarum, & diei, in quo celebrandæ erunt. Sacerdotes singuli in peculiari libro, ad hoc in Sacristia asservando, adnotent propria manu, se tali die pro tali onere satisfecisse, si per substitutum celebrent, ipse substitutus scribat, se pro N. substituente celebrasse, juxta Sacræ Congregationis Concilii præscriptum [18]. In alio verò libro, ibidem pariter retinendo, Missæ adventitiæ, & manuales adnotentur, juxta monita Sacræ Congregationis Visitationis Apostolicæ: Contra inobedientes arbitrio nostro animadvertemus.

[18] *In litteris Encyclicis* 15. *Decembr.* 1663.

XVIII. Quòd si ad prædicta onera satisfacienda redditus insufficientes, & infra taxam manualis eleemosynæ imminuti reperiantur, Missarum reductio

erit à Sacra Congregatione Concilii postulanda, sublata Episcopis, & Regularibus Superioribus ad hoc omni facultate à Sa. me. Urbano VIII. & Innocentio XII.

XIX. Cappellani amovibiles, seu perpetui ex fundatione, seu alio titulo ad Missam quotidie per se ipsos celebrandam obligati, si semel in hebdomada, juxta benigniorem aliquorum sententiam ex honestate vacare velint, licitum est, eò magis concurrente aliqua rationabili causa; At celebrare volentes, Cappellaniæ oneribus, non verò pro aliis Sacrificium applicare tenentur; & multò magis caveant, nè dicta die alteri obligationi, alio stipendio accepto, satisfacere præsumant; id enim tuta conscientia facere non poterunt (19).

[19] *Cap.* Significatum *de præben. Sac. Congr. Conc. in Collen.* 18. *Septembr.* 1683. *relat. à Monacell. p.* 1. *in append. pag.* 355. *n.* 6 *primæ editionis.*

XX. Monentur etiam omnes, & singuli Rectores, & Beneficiati, habentes Beneficia in titulum, quatenus die Festo Sancti Titularis saltèm tres Missæ in ejus Altari celebrentur.

XXI. Si quandoque in aliqua Ecclesia Sanctissimum Sacramentum publicæ adorationi exponi contigerit, in Altari, in quo est expositum, non celebrentur Missæ solemnes, neque planæ, excepta tamen Missa in solemnitate Corporis Christi, & per Octavam, nec non occasione 40. Horarum; Et eadem expositione durante in Missis privatis in ipsa Ecclesia celebrandis, Campanula ad elevationem non pulsetur; neque Missæ de *Requiem* celebrentur (20). Prout etiam celebrari prohibentur Missæ Defunctorum in Festis duplicibus, aut Dominicis diebus. Quòd si, juxta Benefactorum præscriptum, in hujusmodi diebus incidant, minimè transferantur, sed dicantur de Festo currenti, cum applicatione Sacrificii, ex decreto S. M. Alexandri VII. Si unicam excipias, quæ præ-

[20] *Cærem. Episcop. lib.* 1. *cap.* 12. *& juxta Edictum Emin. Vicarii* 20. *Januar.* 1705. *n.* 10.

præsente cadavere celebrari poterit de *Requiem*, non tamen prima die Natalis Domini, Paschatis, & Pentecostes.

XXII. Cæteræ autem Missæ Defunctorum cum cantu, Anniversario tantùm die obitus, juxta Testatoris mentem celebrari possunt, etiam in duplicibus non autem festivis de præcepto, dummodo eo die Sanctissimum Sacramentum in eadem Ecclesia non sit expositum [21]. Reliquas verò Missas, quæ ex temporanea, vel perpetua obligatione, sive ex devotione in Altaribus Privilegiatis in duplicibus, seu Dominicis, seu diebus aliis, quibus Missæ de *Requiem* celebrari prohibentur, de currenti festo, seu Officio celebrantur, perinde suffragari, ac si Missæ Defunctorum celebrentur, Summi Pontifices, prævio examine Sacræ Congregationis Rituum declararunt.

[21] *Sac. Congr. apud Pignatell. tom.*8 *consult.*23.

XXIII. Caveant celebrantes quicumque, nè in Missis pluribus formulis, seu particulis, aut consueto grandioribus Fideles communicent, id enim S.M. Innocentius XI. vetuit (22).

[22] *In decret.* Cum ad aures *circa communionẽ quotidian. edito* 12. *Febr.* 1679.

XXIV. Presbyteri exteri, seu vagi, nè quidem in Regularium Ecclesiis celebrare permittantur, nisi exhibita licentia nostra, vel nostri Generalis Vicarii, seu Foranei respectivè, in scriptis concedenda, post diligens examen Testimonialium Ordinariorum suorum, quæ omni suspicione careant, juxta Sancti Officii litteras 20. Februarii 1649. & 26. Januarii 1692. inferiùs imprimendas: Et in hoc valde sint cauti.

XXV. Quoties denique per Nos Pontificalia tam in Missis, quàm in Vesperis exerceri contigerit, juxta laudabilem antiquam hujus Ecclesiæ consuetudinem, omnes Sacerdotes, & Clerici Urbani eisdem

[23] *Synod. Anagnin. Viviani* 1596. *cap.* 38. & *Masserii* 1685. *cap.* 21. *n.* 14.

dem interesse non omittant, sub pœnis per Prædecessorum nostrorum Synodalia decreta taxatis [23].

CON-

CONSTITUTIONUM SYNODALIUM

PARS TERTIA.

CAP. I.

De Vita, & honestate Clericorum.

VOS modò alloquor, Dominici Gregis portio prædilecta, in sortem Domini,& Altaris ministerium segregata; inclinate aurem vestram in verba oris mei, ut hæreditatem ejus, qui vos elegit, adipisci, & tanquam lucernæ lucentes in caliginoso loco cæteris verbo, & exemplo præfulgere valeatis.

II. Satagant itaque Clerici omnes, Tonsura, seu minoribus Ordinibus initiati, morum integritate, Sacramentorum frequentia, Doctrinæ Christianæ exercitio, Ecclesiæ servitio, scientiarumque sedulo studio se bonorum operum exempla exhibere. In Sacris insuper Ordinibus constituti, morali Theologiæ operam dare, Casuum Conscientiæ collationibus,

bus, nec non Sacræ Scripturæ lectionibus à Canonico Theologo in Cathedrali haberi solitis, interesse non omittant, omnesque Sanctissimum Viaticum infirmis delatum, devotè associare certent, ut ita suo muneri satisfaciant, & à Nobis ad altiores gradus promoveri mereantur [1].

III. Clericalem habitum, & Coronam suo Ordini congruentem deferant omnes, & singuli etiam sola Tonsura initiati, præsertim si aliquo Beneficio, aut Cappellania sint provisi, ad formam Constitutionis 92. Sixti Papæ V. sub pœna, quoad simplices Clericos, privationis Clericalium privilegiorum, quoad alios verò, ut supra provisos, privationis Beneficii, Cappellaniæ, seu Ecclesiasticæ Pensionis, quam obtinent, ipso facto incurrenda.

IV. Mulierum cum Clericis cohabitationem Sancti Patres, & Canones detestantur, nisi primi, & secundi gradus conjunctio, vitæque irreprehensibilis honestas aliud suadeat, sive aliquam ad necessaria servitia Nobis, aut Vicario nostro Generali in scriptis concedere visum fuerit [2]. Domos autem proprias, aut ad eorum Ecclesias spectantes impudicis fœminis, aut suspectis, & infamibus personis locare Clerici non audeant [3].

V. Arma cujusvis generis neque de nocte deferre eisdem ullatenus liceat: vinolentiam, rixas, impudicitiam, cupiditatem, elationem, blasphemias tanquam colubros calcaneo insidiantes fugiant, librorum obscænorum scurrilium, aut alios bonos mores depravantium, lectionem, aut retentionem caveant [4]. Aleis, & taxillis ludere non audeant [5], neque ludi, vulgò *di Cascio*, seu *Ruzzica* dicti, prout etiam qui pila, seu ligneis globis fiunt, vernacula lingua *a Palla*, *ed a Bocce*, nisi in remotis locis, & in-

[1] *Trid. Sess. 22. de reform. cap. 1. Monit. ad Clerii S. Caroli Borromæi.*

(2) *Cap. 1. de cohabitat. clericor. & mulier. & ibi gloss. cap.* Definimus *18. quæst. 2. cap.* Mulieres *2. de Judic. in 6.*

[3] *Conc. Carthagin. 3. cap. 5. S. Carolus ubi supra §.* Ædes *cum seqq.*

[4] *Trid. Sess. 22. cap. 1. de refor.*

[5] *Distinct. 35. cap. 1. & cap.* Clerici *il 2. de Vita & honestat. Clericor. Conc. Triden. loco citat.*

inter Ecclesiasticas tantùm Personas tolerandi erunt (6).

[6] *S. Carolus ubi supra.*

VI. Turpem quæstum, aut lucri cupiditatem procul abjiciant, sive ab illicita negotiatione, sive à mecanicis, & sordidis, videlicet cauponis, lanionis, pistoris, nuntii, seu mandatarii, similibusque artibus, sive à laicalium prædiorum conductionibus proveniat. Laicis inservire in vilibus domus exercitiis, aut etiam fœminarum, tametsi nobilium obsequiis mancipari Clericis omnibus, & Sacerdotibus præcipuè, indecens, & incongruum Sacra Congregatio Episcoporum litteris Encyclicis sub datum Romæ 10. Martii 1697. declaravit. A' Medicinæ, & Chirurgiæ exercitio, nisi Apostolico privilegio sint suffulti, arceantur, minùsque suscipere præsumant Notariatus, seu Tabellionatus, Cancellarii, vel Secretarii Officia in sæculari Foro, in quo Sacris Ordinibus initiati, neque in civilibus, neque in criminalibus Causis, Procuratoris, seu Advocati munus exercere permittuntur, si suam, suæque domus, Ecclesiæ, vel Beneficii defensionem excipias, aut etiam pauperum, & miserabilium personarum, nulla tamen recepta, vel pacta mercede (7).

(7) *Cap.* Sacerdotibus *ubi glos. ne Cleric. vel Monac. Clement. Unic. de Vita, & honest. Cleric. Cap. 1. de postulando.*

VII. Larvatos, seu personatos quocumque tempore, aut loco incedere, minùsque ad id sacris Religiosorum, aut mulierum vestibus uti, choreas ducere, comœdias instruere, seu iis, quæ à mimis, histrionibus, vel circulatoribus publicè habentur, interesse sit nefas; ea etenim omnia, utpote libidinis incitamenta, maximè dedecent viros Altaris ministerio addictos, qui præbere se debent exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate (8). Contrafacientes pœnæ scutorum vigintiquinque locis piis, seu Paupe-

[8] *Trid. Sess. 14. in proœm. de ref. & Sess. 22. cap. 1. de refor.*

ribus applicandorum, aliisque arbitrio nostro subjaceant, & in Juris subsidium de Fidelium alto anathemate inflicto [9] delendos se sciant.

VIII. In laicali foro, tum in civilibus, tum in criminalibus causis etiam ad defensam juramentum præstare non audeant, neque examen subire absque nostra, seu Vicarii Generalis licentia, quæ juxta casuum exigentias, prævio juramento in Tribunali Ecclesiastico, vel in manibus Ecclesiasticæ Personæ præstando, & cum clausulis, & cautelis appositis in formula Decreti, aliàs editi super controversiis jurisdictionalibus apud *Genuen. in prax. cap. 35. n. 6.* gratìs concedetur. Neque apud laicum Judicem in Criminalibus accusatores accedant, nisi licentia ut supra obtenta, & prævia protestatione *cap. Prælatis de homicid. in 6.* aliisque cautelis Canonici Juris adhibitis. Eamdemque licentiam in scriptis impetrari volumus à Clericis pro tutela, seu cura, etiam pietatis causa, & absque negotiatione à jure interdicta suscipienda.

IX. Clericalibus privilegiis gaudere cupientes, servent omnino requisita Concilii Tridentini, gestando habitum, & tonsuram, & Parochiali suæ Ecclesiæ inserviendo, cui adscriptos esse volumus, scandala, & indecentia ministeria devitando [10]. Habitum ob militiam, mercaturam, matrimonium, aut etiam per liberam renunciationem dimissum, inconsulto Ordinario, non reassumant [11].

X. Conjugati non bigami, si privilegio Canonis, & Fori in civilibus, & criminalibus causis potiri velint, servent requisita *Cap. unic. de Cleric. conjugat. in 6.* gestando habitum, qui à laicis distinguatur, nisi à Sede Apostolica dispensentur, Ecclesiæ alicui inserviendo, à militia, mercatura, & sordidis arti-

bus

(9) *Sac. Congreg. Concil. in Mantuana 10. Aprilis 1645.*

[10] *Juxta Decreta apud Ricc. in Synops. v.* privilegium *n. 1. &* 2.

(11) *Item v.* Clerici *quoad habit. reassumpt. n. 2.*

bus abstinendo [12]. Aliæ verò honestæ artes conjugatis Clericis non repugnant.

XI. Clerici proindè, seu cælibes, seu conjugati, præmissa requisita non servantes, Clericalia privilegia ipso Jure amittant, tametsi trina monitio contra ipsos, & eorum quemlibet non præcesserit. Decernentes hanc unicam generalem, & Synodalem monitionem pro trina canonica monitione suffragari [13]. Nobis tamen jure eos repetendi, seu reintegrandi reservato, quatenùs ad bonam frugem redeant, & requisitorum observantiam reassumant [14].

[12] *Item v.* varii casus ĩ quibus &c. *n.* 22. *v.* Clerici conjugati quoad *privil. for. & can. n.* 14. *& seqq.*

[13] *DD. in cap.* 2. *de Cleric. vel Monach.* relati à *Grass. de effect. Cleric. eff.* 1. *n.* 900

[14] *Ad text. in cap. ult. ibique glos. v.* suis facultatibus *de Vit. & honest. Cleric. Clement.* 1. *v* quãdiu *eod. tit. Sac. Cong. Episc. in Orien.* 31. *Julii* 1590.

CAP. II.

De Capitulo, & Canonicis, cæterisque Ecclesiæ Ministris.

I. SI universo Fidelium populo, verbo, & exemplo præfulgere debent, qui in sortem Domini vocati, Divino sese ministerio dedicarunt [1], ut in eos, tanquam in speculum reliqui oculos conjiciant, ex iisque sumant, quod imitentur; Id maximè præstandum dignoscitur, per Canonicos præsertim Cathedralis nostræ, qui veluti Ecclesiæ Senatus, Christi familiares, ac domestici Dei, non tantùm reliquo Fidelium gregi, sed Clericali etiam Ordini doctrina, & virtutibus præire convenit, atque præcellere [2].

(1) *Trid. Sess.* 22. *cap.* 1. *de refor.*

[2] *Idem Sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.*

II. Statuimus igitur, atque decernimus, Canonicos omnes, Beneficiatos, cæterosque Chori servitio addictos, statutis horis talari veste, superpelliceo, ac insignibus Canonicalibus, seu aliis, suo Ordini convenientibus indutos ad Divina Officia persolvenda convenire, non turmatim, sed eo ordine,

quem Cathedralis Ecclesiæ Constitutiones [3] præscribunt, ad quarum normam, qui ad matutinum ante finem secundi Psalmi, ad reliquas verò horas ante completum primum Psalmum, ad Missam autem Conventualem ante inchoatam Epistolam, ad Chorum non accesserint, pro absentibus [4] reputentur.

[3] *Cap.2.num.3. pag.15.*

(4) *Ibidem n.6. pag.16.*

III. Porrò horæ Canonicæ, & reliquum Divinum Officium attentè, studiosè, ritè, piè, & religiosè, non festinanter, aut truncatè, sed integrè, distinctè, ac devotè persolvantur, juxta dispositionem Sacrorum Canonum, Concilii Tridentini, ac monita Sanctissimi D. N. Clementis Papæ XI. per litteras Pastorales Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium sub die 16. Martii 1703. transmissa. Idcirco à Dei selectis Ministris, rei Divinæ vacantibus, qui Domino servire debent cum timore, & tremore, facessant mussitationes, colloquia, scurrilia, scommata, ac risus, eorumque aures, aut oculos ad vanitatem per Ecclesiam converti sit nefas; Quod si secus per eosdem præstari contigerit, eos tanquam in arcum pravum conversos, & in offensionis lapidem, ac petram scandali positos præter distributionum amissionem, si moniti à Præposito, vel eo absente, à Vicepræposito, seu antiquiore Canonico, non resipuerint, suspensionis à Divinis, aut acriori etiam pœna volumus coerceri (5).

(5) *Ibidem cap.7. & 8.*

IV. A' Choro, necessitate, aut Ecclesiæ utilitate, vel aliâ justâ causâ non cogente, non exeant, neque Divinas laudes intermittant sub pœna amissionis distributionum, horæ, qua abfuerit, respondentium. Hujusmodi autem justâ causâ detineri censendi sunt Canonicus Pœnitentiarius, Curatus, aut Sacrarii Præfectus, in eorum muneribus occupati, prout etiam Canonicus Theologus, qui potitur distributio-

tio-

tionibus, & vacationibus pro tempore enunciato in *Cap.8. de lectione Sacræ scripturæ.* Divini deinde Officii penso persoluto, antiphona *Salve Regina*, seu alia, quæ pro temporum varietate recitanda erit, non alternatim, prout hactenus fieri consuevit, sed integrè ab universis de Choro pronunciari mandamus.

V. Punctatores proprio muneri, atque oneri exactè satisfaciant, quo jurisjurandi religione interposita detinentur, collusione quavis, aut humano respectu posthabito. Nè verò, in discernendis casibus, in quibus Choro addicti punctandi sunt, vel è contra, dubio aliquo, aut perplexitate turbari contingat, ac hæsitare, Edicto de hac re à Nobis nuper edito, inferiùs registrando, & in Sacrario publicè detinendo, conformentur. Strictè insuper præcipientes Capitulo, singulisque ejus membris, Præposito, Canonicis, ac Beneficiatis, nè in Divini cultus præjudicium, & contraventionum ansam, & fomentum, fallentias invicem remittere, aut condonare audeant; sed transgressores, prout juris erit, punctari, & mulctari sinant. Veruntamen universos toto corde in Domino hortamur, ut Divinis Officiis, non distributionum aviditate, sed Divini honoris zelo, ac charitate permoti adesse festinent, verba illa Psalmi ex animo concinentes: *Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo, quoniam bonum est*, nè audire contingat in die iræ, & districtionis: *Recepisti mercedem tuam* (6).

[6] *S. Carolus in Monit. ad Cler.* §. At præterea *cum seqq.*

VI. Capitularis conventus, statutis diebus, & pro occurrentium negotiorum opportunitate ad formam Constitutionum congregetur, suo ordine sedeant, sententiam suam modestè, ac sinè strepitu, neque jurgiis, aut scurrilibus verbis proferant; Quæ

ad

ad Divinum cultum ſpectant in primis, & pro viribus ſemper proponere, ac promovere ſatagant, cæteraque mutuâ cum charitate, ad Dei gloriam, & Eccleſiæ utilitatem peragant.

VII. Inter Canonicos, qui majoris Sacriſtæ munia exercet, ſacrorum vaſorum, & indumentorum, totiuſque Eccleſiaſtici Theſauri, & Sacrarum in primis Reliquiarum curam attentè gerat, minorum Clericorum miniſteria diſponat; inobedientes, ineptos, à recto tramite deviantes, aut pravis moribus imbutos, & Pœnitentiæ, Euchariſtiæque Sacramenta ſingulis ſaltèm menſibus non frequentantes corrigat; non reſipiſcentes pro ſuo arbitrio, & prudentia, dimittat, alioſque aptiores ſubſtituat. Aquam, Vinum, Hoſtias, cæteraque utenſilia ad rem ſacram neceſſaria, munda, pura, & in promptu eſſe curet; Altaria pro temporum ratione à majoribus, minoribuſque Clericis, ac Manſionariis reſpectivè ornari; luſtralem aquam ſingulis hebdomadis renovari, Eccleſiam mundari, & bis ſaltèm in anno, Paſchalibus, & Sanctorum omnium Feſtis imminentibus, Aranearum telis, ac pulvere ejus parietes liberari facere non omittat. Miſſarum Celebrationem opportunè, maximè Feſtis diebus diſtribuant, & ut una ſaltèm ſummo manè, altera verò circa meridiem quotidie, quantum fieri poterit, celebrentur, invigilet. A' Domo Dei confabulationes, ſtrepitus irreverentias, reſpectu quolibet ſepoſito, viriliter arceat.

VIII. Cæremoniarum item Magiſter ſacras functiones diligenter, & ad Cæremonialis præſcriptum, ac Eccleſiæ Conſtitutionum normam, diligenter diſponat, Thuriferarios, Acolytos, cæteroſque Miniſtros de eorum Officiis præcedenter inſtruat, nè propter eorum imperitiam confuſio, aut perturbatio in agendis oriatur.

IX. Quo-

IX. Quotiescumque, recurrentibus anni temporibus, Pontificalia per nos erunt exercenda, Præpositus, Canonici, Beneficiati, ac Clerici omnes Missæ, Vesperarumque solemniis adfuturi accedant; Ad Episcopale Palatium Cruce præeunte ordinatim progrediantur; quatuor Canonici ad Cubiculum, ubi Episcopus induitur Cappa, ascendant, omnesque deinde ad Ecclesiam eumdem debito cum honore comitentur, juxta nuper initam concordiam, Cæremoniali Episcoporum *lib.*1. *cap.*15. conformem. Nec prætextu, aut excusatione aliqua suffragante, absque licentia nostra à Choro quilibet recedat, aut à functionibus hujusmodi se eximat(7), sub pœnis à bo:me:Bernardino Masserio Prædecessore nostro in sua Synodo aliàs statutis.

(7) *Trid. Sess.* 24. *cap.* 12. *de refor.*

X. Reliquis verò diebus, Nobis ad Ecclesiam accedentibus, vel ab ea recedentibus, propè Ecclesiæ januam omnes, vel Divinis Officiis perdurantibus, aliqui de more in Canonicali, seu Chorali habitu excipiant, aut comitentur, Dignior in ingressu, cum osculo manus, aspersorium offerat, juxta Cæremonialis præscriptum.

XI. Quo verò ad ea, quæ ulterius respiciunt Divinorum Celebrationem, Camerarii administrationem, & rationis redditionem, pecunias à Præposito, Canonicis, & Beneficiatis pro admissione ad possessionem stalli Capitularis persolvendas, & in Sacristiæ & Sacrorum utilitatem erogandas; cæteraque hujusmodi, ad Ecclesiæ sæpius memoratas Constitutiones, ac præfati Prædecessoris nostri Synodales Sanctiones *tit. de Capit. Canonic. & Beneficiat. cap.*26. ratio debita habeatur, quas quidem Ecclesiæ Constitutiones confirmamus, approbamus, & executioni demandari volumus, illarum tenore hic habito pro expresso, quoad

quoad ea tamen, quæ rationabilia ſunt, & Juri conſona.

XII. Omnes denique Eccleſiaſticos, & ſignanter Curatos, Confeſſarios, Canonicos, & Beneficiatos enixè in Domino hortamur, ut ſingulis annis à ſæcularibus turbis ſegregati, ſpiritualibus exercitiis vacando, ſpiritu renoventur, ad normam noſtrarum litterarum Circularium, quas juxta monita Sanctiſſimi D. N. Clementis XI. tranſmitti curavimus.

C A P III.

De Parochis.

I. PArochi, cæterique animarum Curæ addicti, qui Nobis in Dominici Agri cultura impigri Coadjutores, & in Chriſti grege depaſcendo fideles adminiſtri eſſe debent, ſatagant, oratione in primis, virtutum ſtudio, morum integritate, ſcientia, prudentia, vigilantia, & exemplo ſe tanto muneri pro viribus conformare, nè ſupremus Paterfamilias, idemque diſtrictus Judex rationem ponens cum ſervis ſuis, Sanguinem pretioſiſſimum pro animabus eorum cuſtodiæ demandatis inutiliter effuſum, requirat de manu eorum.

II. Conciliaribus igitur Sanctionibus parendo fideles ſubditos Dominicis, & Feſtis diebus Verbi Domini prædicatione paſcant, Evangelica præſertim monita juxta audientium captum ad legum cuſtodiam inculcandam, & morum reformationem inducendam explanando (1). Sacramentorum item vim, & uſum præceptorum etiam tam Decalogi, quàm Eccleſiaſticorum obligationes patefacere, & obſervantiam promovere non deſiſtant; Jejuniorum, & Feſtorum dierum intrà hebdomadam occurrentium ob-

(1) *Trid. Seſſ. 22. cap. 8. & de refor. Seſſ. 5. cap. 2. Seſſ. 23. cap. 1. & Seſſ. 24. cap 4.*

observantiam præmoneant, ac denuncient; Quæ Festis præcepta, quæ itidem vetita sint, edocendo [2].

III. Suarum Ecclesiarum nitori, & ornatui studeant. Pœnitentiæ præcipuè Sacramentum, & Eucharisticum Panem petentibus præstò sint. Ægrotis ad Romani Ritualis præscriptum diligenter assistant. Pro Ovibus suis quolibet Dominico, & festivo die de præcepto in propria Parochiali Ecclesia, hora populo commodiori, particularium personarum respectu posthabito, Sacrificia offerant, nulla recepta mercede, reddituum tenuitate quantalibet non obstante, tametsi Curati sint amovibiles, aut Regulares, omnium etenim par est obligatio [3]. Die Dominico, Parochialem Missam antecedat Populi aspersio cum aqua benedicta, juxta ejusdem Ritualis formam, idemque de more servetur per singulas domos Sabbatho Sancto; de Aquæ lustralis virtute, & ratione domos statis illis diebus aspergendi, sermone ad suas Oves habito die Dominico Palmarum.

IV. Festis diebus Doctrinæ Christianæ rudimentis pueros instruant, & provectioris etiam ætatis homines, ac mulieres ad hujusmodi instructionem pro viribus compellant, cùm inter eos, non sinè animi nostri mœrore major inveniri contingat necessariorum ad salutem ignorantia [4]. Clericos in Parochiæ finibus degentes in tam salubre ministerium coadjutores advocent, renuentes ad nos deferant. Parentes, & in eorum defectu gradu propinquiores, Patrinosque, & Matrinas edoceant, quanta sit eorum obligatio pueros Fidei mysteriis, ac præceptis imbuendi, & in Domini timore, atque amore educandi. Suppetentibus præcipuè Fidelium ope, &

L au-

(2) *Idem Sess 24. de refor. cap. 7. & Sess. 25. de delect. cib. &c.*

[3] *Sac. Congreg. Conc. 10. Maji 1692. & alibi pluries.*

(4) *S. Pius V. Constit. incipien.* Ex debito *6. Oct. 1572.*

auxiliis, quibus factum est, ut publicæ commoditati pateant scholæ, non modò puerorum; verùm etiam puellarum, quarum profectui à biennio, & ultra pii Benefactoris curâ, & impensis accitæ advigilant Virgines magistræ ætate, virtute, ac maturitate conspicuæ; non sinè spe tam pium opus in aliis etiam Diœcesis oppidis, Deo dante, propagandi.

V. Pauperes, Viduas, Pupillos, aliasque miserabiles personas paternè adjuvent, ac sublevent consilio, auxilio, ac etiam eleemosynis, nisi de proprio suppetant, ex piis divitum largitionibus saltèm comparatis, carnis affectu erga propinquos penitùs deposito (5).

[5] *Trid. Sess. 25. cap. 1. de refor.*

VI. Inimicitias, odia, detractiones, superstitiones, impudicitias, ludos, ebrietates ab ovili suo, Sacerdotali constantia exterminent; quòd si paternis monitionibus, ferventibus obsecrationibus, acribus increpationibus proficere non contingat, obduratos Nobis, aut Vicario nostro opportuniùs redarguendos denuncient.

VII. Abstineant omnino Sacerdotes tam Sæculares, quàm Regulares à munere exorcistæ obeundo, nisi priùs habita à Nobis opportuna facultate, non concedenda, nisi priùs constiterit de eorum pietate, integritate, prudentia, aliisque qualitatibus ad hujusmodi ministerium à Rituali Romano requisitis, juxta cujus regulas, & non aliter exorcismorum ministratio erit peragenda; sic jubente Sac. Inquisitionis Tribunali per litteras circulares sub datum Romæ 2. Julii 1710. (6).

(6) *Cōcil. Mediol. 1. par. 2. tit. de exorcista.*

VIII. Utque promptiores inveniantur in quibuslibet ovium suarum necessitatibus, Parochiales ædes inhabitent, aut iis deficientibus, alias intrà Parochiæ fines conducant, non autem extra, nisi legiti-

mis

mis intervenientibus causis, & de Sacræ Congregationis Concilii licentia. Ultra tres dies à residentia non absint, idoneo Vicario relicto. Quòd si diutius abesse occurrat, à Nobis, seu Vicario nostro Generali discedendi licentiam, & Sacerdotis in ejus locum sufficiendi approbationem petant, in solemnioribus, quibus oves Pastoris sui præsentiâ maximè gaudent, non facilè concedendam. Inobedientes, fructus pro rata absentiæ suos non facere, pœnisque à Sacro Tridentino Concilio taxatis, aliisque arbitrio nostro plectendos certò sciant [7].

[7] *Trident. sess. 6. cap. 1. de refor. & sess. 23. cap. 1. de refor.*

IX. Quinque retineant distinctos libros, beneque compactos, nempe Baptizatorum, Confirmatorum, Matrimoniorum, Mortuorum, ac status, & numeri Animarum [8]: Partitas in eis, & non in schedulis, diligenter, omnique dilatione postposita, adnotent, nè ex eorum incuria, ut quandoque contingit, non exigua familiarum præjudicia oriantur; contravenientes pro modo culpæ arbitrio nostro punientur.

[8] *Ritual. Rom. Formul. scriben. in libris haben. apud Parochos.*

X. Diebus infrascriptis, & sæpius infra annum, prout opportunum esse noverint, quæ sequuntur Edicta, seu eorum summarium perlegant, eorumque sensum explicent, & observantiam inculcent. Die Circumcisionis Domini Edictum nostrum super observatione festorum: Prima Dominica Januarii Constitutionem Sancti Pii V. contra Blasphemos: Secunda Dominica ejusdem mensis summarium Indulgentiarum à Summis Pontificibus concessarum frequentantibus Doctrinam Christianam: Dominica Septuagesimæ, & Dominica secunda Septembris contra Adulteros, & Concubinarios: Dominica Quinquagesimæ super observantia Quadragesimæ: Dominica prima Quadragesimæ Edictum Sancti Officii contra Hæreticos, & de hæresi suspectos: Dominica secunda

Quadragefimæ, & quarta Adventus Summarium Bullæ in Cœna Domini. Sæpiffime etiam infra anni decurfum Edictum noftrum, cum cæteris infra regiftrandum, contra condormientes infantibus primum ætatis annum non excedentibus; & fponfos de futuro fimul converfantes memoriæ reducant, nè præter divinæ ultionis gladium, pœnas inibi comminatas experiantur.

XI. Fefto die Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, die Cinerum, & Dominica Palmarum, Candelas, Cineres, ac ramos Olivarum refpectivè de more benedicant, ac Populo ad Ecclefiam accedenti diftribuant; ad particulares domos, nifi fortè legitimè impeditis, mittere non tenentur [9].

XII. Summo manè, meridie, ac hora vigefima quarta Italica, fignum dari faciant falutationis Angelicæ recitandæ, Campana majori, prout etiam hora prima noctis pro Oratione pro Defunctis. Imminentes etiam aereas tempeftates cohibeant Campanarum fonitu.

XIII. Majoris infuper Campanæ figno notum fiat populo, in Parochiali, feu folemni Miffa recitari, feu cantari Angelicum Trifagium, Sacram Hoftiam, feu Calicem elevari, feu Sanctiffimo Sacramento adhibito Fidelibus benedici, vel idem Sacramentum ad Infirmorum falubre edulium ab Ecclefia educi, ut abfentes etiam omnipotentem Dominum noftrum adorent in fpiritu, & humilitate. Similique denique figno ad horæ faltèm quadrantem protracto, media nocte imminente ante diem Sacrorum Cinerum moneatur populus de Quadragefimalis Jejunii adventu, ut illico ab efu vetiti cibi, nec non à larvis, & choreis abftineant [10], ficuti noftris Edicto, & circularibus litteris idem fervari jam pridem mandavimus.

[9] *Sac. Congr. Epifc. in Fulginaten. 31. Januar 1581. cum aliis relat. à Rmo Petra adConft. Apoft tom. 2. pag. 31. num. 54.*

[10] *Conc. Prov. Mediolan. 7. apud Gavant. v.* Quadragefima *nu.* 2. *&* 3.

XIV.

XIV. Pauperes mendicantes, tametſi ad Deum exorandum, nullo habito delectu, aut perſonarum acceptione, intrà ſacras Ædes admitti debeant, ipſis tamen ſtipem quærentibus, per Parochos, Sacriſtas, cæteroſque Eccleſiarum Rectores, hujuſmodi ingreſſu interdicto, præ foribus, ſeu in vicinis porticibus, locus aſſignetur, nè Sacra agentibus, & orantibus ſint moleſti, ex præſcripto Bullæ Sancti Pii V.

XV. Nec abſimiliter ab Eccleſiis arcendi erunt parvuli, deambulatu, clamoribus, ſeu ploratu importunè obſtrepentes, & ſacra omnia, quibus cùm tremore adſtant Angeli, perturbantes; prout multiplices Nobis ſuper hujuſmodi abuſu, à Diœceſi præſertim, conqueſtiones fuerunt allatæ; Quod ſi Parochorum hortatu, & objurgationibus, Matres puerorum ductrices eidem malo occurrere detrectent, re per Vicarios Foraneos ad Nos delata, moderatis pignorationibus; & mulctis, ſeu aliter, ſicut in Domino videbitur, inobedientes compeſcere ſatagemus.

CAP. IV.

De Regularibus, & Monialibus.

I. Regularium Clauſtra ingredi in præſenti non intendimus, quos Apoſtolica auctoritas ab Ordinariorum Juriſdictione in multis exemit, niſi ut eos de Dei Eccleſia benemeritos, & Dominici Agri ſedulos collaboratores in Domino obſecremus, ut in Animarum Nobis commiſſarum ſalute promovendâ manus porrigant pro viribus adjutrices (1). Quapropter paternis eos viſceribus monemus, ut ſicuti Nos ad Apoſtolicarum Sanctionum normam, ab eorum Conventuum, niſi ſuppreſſorum, vel à minori nume-

[1] *Can.* Ex auctoritate *16. q. 1.*

numero, quàm ſex Religioſorum probatæ vitæ, quorum quatuor ſint Sacerdotes, viſitatione, & correctione abſtinebimus, neque in eos, niſi extra clauſtra vagantes, & delinquentes, ad formam Concilii Tridentini, animadvertemus, ita ipſi in iis, quæ noſtræ, Parochorum, aut aliorum curæ demandata ſunt, omnino abſtinere non graventur.

II. Ipſis etenim benedictiones puerperarum, agrorum, & frugum, aut laicalium domorum in Sabbatho Sancto, ſeu nocivorum animalium maledictiones, ſinè Parochi permiſſione, non licent, ſtola, & ſuperpelliceo, Juriſdictionem denotantibus, ſignanter adhibitis, extra Clauſtra ad eas procedendo (2). Prout neque Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti publica in eorum Eccleſiis expoſitio, ſinè noſtra, ſeu Vicarii Generalis noſtri licentia, non niſi pro publica cauſa concedenda. Pro cauſa verò privata permittitur, ſacra Pixide ſita ad apertum Tabernaculi oſtiolum, ita tamen, ut Sacramentum velatum, & occultum remaneat (3); licita tamen eſt ipſis Regularibus expoſitio hujuſmodi, dum viſitantur ab eorum Superioribus, juxta ſpecialem conceſſionem iiſdem factam à Paulo V. in Bulla incipiente: *Romanus Pontifex die 23. Maji 1606.* in ord. Bulla 21.

III. Idem Sacramentum ſæcularibus ipſo die Paſchatis, etiam devotionis cauſa ſuſcipere cupientibus, non adminiſtrent, eorum privilegiis pro hac die non ſuffragantibus. Aliis etiam Paſchalibus diebus extra propriam Parochiam ſuſcipientes, Paſchali præcepto non ſatisfacient (4).

IV. Paſchalis etiam lætitiæ ſigna campanarum pulſatione exhibere SabbathoSancto abſtineant, ante Cathedralem, ſeu majorem loci Eccleſiam, ſa: me: Leo-

[2] *Sac. Cong. Concil. in Antverpien 18. Novēb. 1662. & Sac. Cong. Rit. in Urbis, & Orbis, Jurium Paroch. 10. Decemb. 1703. ad 6. dub. & Sac. Cong. Viſit. Apoſt. in Romana Jurium Parochial. 5. Septembr. 1695 & 23. Januar. 1698.*

[3] *Sacr. Congr. Epiſc. 27. Maji 1603. in Tortonen & in Cajetana 25 Octobr. 1602. & alibi.*

[4] *Sacr. Congr. Concil. 21. Maji 1627. & in Indiar 18. Martii 1634. lib. 15. decret. pag 42. & iterum in Mechlinien. 31. Januar. 1682.*

Leonis X. Constitutione 17. refragante.

V. Exteros Sacerdotes in suis Ecclesiis celebrare non permittant, nisi nostram, vel Vicarii Generalis, & respectivè Foraneorum licentiam in scriptis exhibeant, recognitis Ordinariorum suorum litteris concedendam. Neque ipsis Religiosis absque simili licentia, & Superiorum suorum permissione, mendicare, & quæstuare permittitur, iis locis exceptis, in quibus proprii Conventus existunt. Neque item in propriis Ecclesiis concionari sinè petita, neque in alienis Ecclesiis, non obtenta ab ordinario benedictione (5). Tenentur verò de Sancto Magno Protectore Officium recitare, non autem de ejusdem Octava (6).

VI. Sanctimoniales alloqui Regularibus omnibus sub peccati mortalis reatu, aliisque pœnis, est interdictum, tametsi per breve tempus id fieret cum sola Abbatissa, concionis, confessionis, aut celebrationis Missæ occasione, aut alia etiam rationabili de causa, titulo, vel colore, Sacrarum Congregationum Episcoporum, & Regularium, & Concilii Decretis, ac Summorum Pontificum Constitutionibus ita præcipientibus, exceptis tantùm consanguineis in primo, & secundo gradu, ad quas accedere extra Adventum, Quadragesimam, feriam sextam, Sabbathum, & festa de præcepto quater in Anno, & cum conditionibus ab iisdem Sanctionibus præscriptis, à Nobis, seu Generali nostro Vicario permitti poterit (7).

VII. Moniales autem Christi Sponsæ prædilectæ satagant exactâ substantialium votorum custodiâ, Regularum suarum sedulâ observantiâ, & ardenti perfectionis adipiscendæ desiderio, lampades suas instruere, nè ipsis, veniente Sponso, à nuptiali thalamo

[5] *Clemens X. Constit. 7. incip.* Superna 11. *Kal. Junii 1670.*

[6] *Sac. Cong. Rit 27. Martii 1628.*

[7] *Ex Decr. gener. S. Cong. Conc. jussu s.m. Urb. VIII. edit. 13. Kal. Decembr. 1623. ead. S. Cong. Conc. approban. Clemente IX. 11. Maji 1669 & ead. Sac. Cong. 21. Maji 1678.*

lamo cum fatuis ejici contingat.

VIII. Ad habitum, & professionem Choralium non recipiantur, nisi legere, scribere, & Divinum Officium recitare sciant, sæcularibus sponsalibus, corporis, aut animi defectibus non sint obnoxiæ, & prævia diligenti exploratione per Nos, Vicarium nostrum, seu alium deputatum ad formam Sacri Tridentini Concilii de earum libera Religiosæ vitæ profitendæ voluntate planè constet [8], & non excedant numerum trigesimum ad formam litterarum Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium Nobis directarum, sub die 24. Januarii 1710. taxatum, donec Monasterii facultatibus excrescentibus aliter decerni visum fuerit expedire. Habitus etiam susceptionem, & professionis respectivè emissionem præcedant spiritualia exercitia, per decendium, Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium, & s. m. Innocentio XI. præcipiente, observanda; quibus etiam semel saltèm in anno vacare Moniales omnes ex hortatu Sanctissimi D. N. non omittant.

IX. Nemini etiam habitus conferatur, nisi priùs expleta ætate annorum quindecim [9], ac integra, & pecunia numerata, seu in Cedulis sacri Montis Pietatis, Banchi Sancti Spiritus, aut Archiconfraternitatum de Urbe, verè, & realiter deposita Dote per publicum Instrumentum ab Episcopali Cancellario, vel ab alio Notario rogatum, dummodo ejus authenticum exemplum in Episcopali Cancellaria exhibeatur [10]. Privatæ Apocæ, seu personales obligationes, bona mobilia, aut stabilia, sive Census, absque speciali Sacræ Congregationis permissione, non admittentur [11]. Prædictum autem depositum fiat in communi ærario Monasterii, seu penès personam, fide, & facultatibus idoneam præfer-

[8] *Trid. sess. 25. cap. 17. de Regular. & Monial.*

[9] *S. Cong. Episc. & Reg. 23. Maji 1659. & in Senen. 20. Junii 1687. in Lucana 19. August. 1678. & in Neapolit. 4. Sept. 1697.*

[10] *S. Cong. Episc. in Fulginaten. 4. Aug. 1625. & 20. Maji 1661. & alibi sæpè.*

[11] *Ead. S. Cong in Fulginaten. 19. Sept. 1664. & 2. Aug. 1675. & in Bituntina 31. Maji 1677.*

fertim Ecclesiasticam, non tamen Novitiæ consanguineam, post professionem liberè persolvendum Abbatissæ, & Monialibus capitulariter congregatis, & reponendum in eodem ærario, duabus clavibus obserato, quarum una apud Episcopum, altera apud Abbatissam servetur, donec pecuniæ in locis Montium non vacabilibus, aut B onis stabilibus tutis, & fructiferis reinvestiantur, sin minùs in Censibus perpetuis, non tamen super bonis consanguineorum imponendis, & fidejussoribus idoneis accedentibus, in casu mortis, vel deteriorationis renovandis, licentia nostra semper interveniente, etiam in casu redemptionis censuum, seu novorum investimentorum [12].

X. Novitiarum receptio, & deinde professio in peculiari libro bene compacto adnotentur cum subscriptione Novitiæ, seu Professæ, Abbatissæ, & duarum Monialium, Testium loco adhibitarum. Maneant deinde eædem Novitiæ unà cum earum Magistra in habitatione destinata, & à Monialibus separata [13]: Novitiatu autem expleto, & professione emissa, cellas vacantes occupent, itaut semper etiam quoad alia in professione, non verò in admissione, seu acceptatione, anteriores [14] præferantur. Quòd si plures simul fuerint professæ, tunc admissionis ad habitum, seu capitularis acceptationis ratio habeatur [15]. Cellarum pluralitas pro unius Monialis servitio, seu plures Moniales in eodem cubiculo, tametsi in diversis lectulis, permanere sinè expressa Sacræ Congregationis licentia est interdictum [16].

XI. Educandæ non recipiantur, nisi ad unguem servatis conditionibus à Sacra Congregatione præscriptis in solitis licentiis impressis; quæ tamen sinè alia peculiari licentia pro minoribus septennio, vel

[12] *Sac. Cong. in Portugallien. 6. Junii 1615. in Narnien. 2. Octobris 1682., & aliàs passim.*

[13] *Sac. Congreg. Episcop. & Regul. apud Nicol. Flosc.* v. Novitius *n. 32. & seq.*

[14] *Sac. Congreg. apud eumdem v.* Cella *n. 1.*

[15] *Ibid. v.* Præcedentia *nu.* 15. §. Nisi quando.

[16] *Sac. Congreg. Episcop. & Regul. in Camerinen. 20. Novemb. 1589. in Parmen. 21. Maji 1615. & in Conversana 22. Aug. 1659.*

vigintiquinque annorum ætate majoribus, aut quæ in eodem, ſeu diverſo Monaſterio alia vice permanſerint, non ſuffragentur. In loco deſtinato, & à Monialibus, ſeu Novitiis ſejunčto ſub peculiari Magiſtra inſtruantur, ſinè qua cum Monialibus non converſentur; modeſto veſtitu incedant, clauſuræ leges exačtè ſervare teneantur, & caveant ſub pœna excommunicationis, ipſo facto ab utraque incurrenda, nè cum aliqua Moniali in eodem lečto dormire audeant [17].

[17] *Eadem Sac. Congreg. in Mediolanen. 31. Maji 1614. & in Neapolit. 5. Oct. 1691. & 13. Maji 1695.*

XII. Abbatiſſa à Monialibus capitulariter congregatis, ſecretis adhibitis votis eligatur, per ſchedulas, ſeu ſcrutinium auriculare ad feneſtellam, coram Nobis, ſeu Vicario Generali, adſcitis duobus Eccleſiaſticis, & Cancellario Epiſcopali, eaque minor non ſit annorum 40. & octo ſaltèm à Profeſſione laudabiliter exactis, non illegitima, interdicta, excommunicata, corrupta, nec vidua, quæ ſingulis annis rationem reddat ſuæ adminiſtrationis, & triennio ab electione elapſo, ſuſpenſa ab officio ipſo facto remaneat, nec confirmari poſſit, niſi alio triennio ab officio vacaverit; Una ex ſenioribus Monaſterii regimini interim præfecta, donec alia canonicè eligatur [18].

[18] *Ex Conſtit. ſ.m. Gregor. XIII. la 80. quæ incipit* Expoſcit debitū. *S. Congr. Epiſc. & Regul. in Adrien. 20. Febr. 1615. & in Mazarien. 18. Martii 1700. in reſponſ. ad 1.*

XIII. Apud eamdem cautè ſerventur claves januarum Clauſuræ, intrà cujus ſepta neque pueri, neque puellæ cujuſcumque ætatis, neque aliæ quæcumque perſonæ admittantur, niſi neceſſariæ de noſtra, vel Vicarii Generalis licentia in ſcriptis, certiſque ſub conditionibus, & cautelis concedenda, ſub pœna excommunicationis Sedi Apoſtolicæ reſervatæ ipſo jure incurrenda. Neque januæ prædictæ aperiantur ad effectum aliquid emendi, ſeu vendendi, neque ad inviſendos conjunctos, tametſi Patrem,

trem, & Matrem, Fratres, aut Sorores. Exterior etiam Collocutorii janua ante ſolis ortum, neceſſitate ſeclusâ, non aperiatur: Et ad Salutationis Angelicæ ſignum de ſerò claudatur [19].

XIV. Confeſſionalis etiam ſedis porta nemini pateat, niſi Confeſſario, per Nos eligendo, qui aperto oſtio, confeſſiones excipiat; à collocutorio, & aliis ſuum officium non reſpicientibus abſtineat. Ita pariter communionis feneſtella, ſeu crate eidem cohærente nemo ad colloquendum utatur, obſiſtentibus litteris encyclicis Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, de mandato Sanctiſſimi Domini Noſtri datis ſub die 30. Octobris 1706. ſed tantùm ad Euchariſtiæ, & Confirmationis Sacramenta adminiſtranda, conciones audiendas, Monialeſque ad habitum, ſeu profeſſionem recipiendas inſervire debeat.

XV. Collocutorii crates ferreæ, & ligneæ tempore Adventus, & Quadrageſimæ velo etiam ab interiori parte adjecto, de more muniantur. Et nemo ad eas Moniales allocuturus abſque noſtra, ſeu Vicarii licentia, quocumque tempore accedat, ſub pœnis arbitrio noſtro, in primo, & ſecundo conſanguinitatis, vel affinitatis gradibus conjunctis dumtaxat exceptis, dummodo à frequentia, temporibus præſertim Adventus, & Quadrageſimæ, diebuſque feriæ ſextæ, Sabbathi, vigiliarum, ac Feſtorum de præcepto abſtineant, multòque magis hujuſmodi acceſſus interdicitur Hebræis, ſub pœna exilii à Civitate, & Diœceſi, ſinè licentia, qualibet levi de cauſa non concedenda [20].

XVI. Ludi, clamores, ſpectacula, choreæ, cantus, ſonitus, viri, muliereſque inhoneſtæ, aut ſcandaloſæ quandocumque à Monaſterii circuitu, pœ-

[19] *Juxta decr. gener. ejuſd. Sac. Cong. Epiſc., & Reg. relat. à Paſcucc. ad Pignatel. tom. 2. pag. 83. & ſeqq.*

[20] *Sacr. Congr. Epiſc. 28. Novembris 1594.*

nis ſcutorum viginti quinque, aliiſque arbitrio impoſitis, arceantur [21].

[21] *Ex decret. apud Paſcucc. loco cit. tom. 2. pag.* 84. §. E perche li Monaſterj.

XVII. Comœdiæ omnino à Nobis prohibentur, Repræſentationes verò intrà Clauſtra abſque noſtra permiſſione non habeantur, & quatenus permitti contigerit, exterorum conſpectus vitetur, nec virilibus, ſacris, aut Religioſorum indumentis, ſive cujuſcumque ſpeciei armis utantur [22].

[22] *Ead. Sacr. Cong. Epiſ. in Urbevetana* 13. *Martii* 1618., *& in Regien.* 23. *Julii* 1602., *& in Ferrarien.* 27. *Aprilis* 1602.

XVIII. Nocte Nativitatis Domini neque Miſſas celebrari facere in earum Eccleſia, neque eamdem Eccleſiam aperiri permittant, minùſque ab extra Præſepia, vel in majori hebdomada ſepulchra omnimodè excitari [23].

[23] *Ex edicto Emin. Vicarii Urbis impreſſ. in Synod. Auximana Emin. Bichii pag.* 105.

XIX. In contractibus puellarum, ſeu aliarum mulierum in Monaſterio degentium, ſæcularibus Judicibus decreta interponere non licet, neque Notariis Inſtrumenta rogare abſque noſtra licentia [24].

[24] *Ex decret. relat. à Nicol. in floſc. v.* Inſtrumentum *n.* 2. *v.* Judex *n.* 20, *& v.* Notarius *n.* 9.

XX. De cætero ea omnia, quæ in noſtra viſitatione decreta fuere, exactè ſervari mandamus, quorum tenorem, materna lingua exaratum, Monialibus quater in anno legendum tradidimus.

CAP. V.

De Seminario.

I. Quoniam Eccleſiæ Dei ſummopere intereſt, ut juventus, liquatæ inſtar ceræ, impreſſioni cuilibet maximè diſpoſita, & in malum defluere, infecta impellente ſcaturigine cæteroqui parata in virtutis ſemitam revocetur, & ad Altaris miniſterium, litterarum, & pietatis fulcimine rite efformetur; ad Sacroſanctæ Tridentinæ Synodi præſcriptum [1], prope Cathedralem Eccleſiam Seminarium canonicè erexere Prædeceſſores noſtri in domo

[1] *Seſſ.* 23. *cap.* 18 *de refor.*

mo ad Capitulum spectante sub annuo perpetuo canone eidem Seminario concessa, quæ de præsenti, novo addito ædificio, Alumnorum, ministrorumque commoditati disponitur, atque ampliatur.

II. Eisdem igitur Conciliaribus sanctionibus inhærendo, in Seminario non recipientur Adolescentuli, nisi duodecimum attingant ætatis annum, legitimè procreati sint, legere, & scribere competenter noverint, eorumque indoles, ac mores spem afferant Ecclesiasticis Ordinibus, & ministeriis perpetuò vacandi, idonea etiam præstita cautione, ad sacros Ordines suo tempore in Sæculo, vel in Religione ascendendi, vel de sibi præstitis alimentis Seminarium reintegrandi, quatenus conjugium fuerint prælecturi [2]. Pauperes præ cæteris admittemus, divitibus non exclusis, dummodo isti eorum sumptu integre alantur, Deoque, & Ecclesiæ inserviendi præseferant voluntatem.

[2] *Sacr. Congr. Conc. in Civitatis Ducalis 7. Augusti 1683., in Nomantulana 1. Decembr. 1685. in Verulana 30. Martii 1686., & in Cesenaten. 26. Februar. 1695.*

III. Eorum ingressu, immediatè post Commemorationem Fidelium defunctorum secuto, spiritualibus exercitiis per dies octo vacare teneantur sub directore à Nobis deputato, Confessionem generalem suorum criminum emittere, & Cœlesti Pane refici, eademque deinde Sacramenta singulis ad minùs mensibus frequentare, ut in fortitudine cibi illius arduum virtutis callem ferventiùs aggrediantur.

IV. Talarem vestem violaceam induant cum soprana simili colore imbuta, & in eodem habitu sacro Missæ Sacrificio quotidie intersint; Festisque diebus omnibus, singulisque Episcopalibus, seu Capitularibus functionibus Ecclesiæ servitio præstò sint. Doctrinæ Christianæ, & Theologicæ lectioni in Cathedrali, ac collationi casuum conscientiæ in Palatio Episcopali haberi solitis intersint, Cathechismum

Ro-

Romanum quolibet die Sabbathi de ſerò perpetuò perlegant, conferentias ſuper eo inter ſe habeant. Seminarii Conſtitutiones à noſtris Prædeceſſoribus editas, & à Nobis, ad normam Seminarii Romani, innovatas, quolibet ſaltèm menſe in communi menſa perlegant, earumque obſervantiæ ſtudeant. Inobſervantes, in virtutis via non progredientes, Rectori, Præfecto, cæteriſque ſuperioribus obedientiam non exhibentes, diſcoli, vitiorumque ſeminatores acriter punientur, & niſi moniti reſipuerint, tamquam putrida, & reſecanda membra ejicientur.

V. Licet autem Sacra Congregatio Concilii, Alumnos ad proprios lares autumnalibus vacationibus reverti non approbet, ne à cœpta profectus ſemita diſtrahi contingat, ipſa tamen non reprobante, animi relaxandi, & valetudinis confirmandæ gratiâ, ſi quando eò divertere licentiam obtinuerint, vitæ ratione non immutata, pietatis operibus, Sacramentorum frequentiæ, Parochialis Eccleſiæ ſervitio feſtis diebus incumbere, ſuorum Ordinum functiones exercere, Doctrinæ Chriſtianæ edocendæ aſſiſtere volumus, Clericali habitu, & tonſura nunquam dimiſſis, vitæque, & morum integritate ſervata. Ad Seminarium deinde redeuntes, de his omnibus adimpletis Parochi teſtimoniales litteras ſecum deferant.

VI. Quantùm verò ad Nos attinet pro tam pii, & neceſſarii operis progreſſu, ſingulis quibuſque trimeſtribus perſonaliter in Seminario adeſſe conabimur, de Magiſtri, Præfecti, Alumnorum, Convictorum, cæterorumque muniis, progreſſu, ac defectibus accuratè inquiſituri.

VII. Quolibet quoque anno dati, & accepti rationes diſpungemus, aliiſque tam ad temporales, quàm

quàm spirituale regimen spectantibus, diligenter inspectis, quæ salubriora in Domino noverimus, disponemus; quatuor Deputatorum præsentiâ, & consilio adhibitis, quorum duo per Nos, tertius per Capitulum, quartus per Clerum Civitatis eligetur ad præscriptum Sacri Concilii Tridentini *cap.18.sess.23. de reform.*

CAP VI.

De Eremitis.

I. ERemitarum nomen potiùs, quàm Professionem nostris hisce temporibus plerique assumunt inter solitudinis amatores; quoniam Eremitæ professio est, ut ait Cassianus (1), *exutam mentem à cunctis habere terrenis, eamque quantùm humana imbecillitas sinit, unire cum Christo*. Isti autem ut plurimùm sub religioso habitu, quasi in vestimentis ovium per Orbem vagantes, de alieno labore vivunt, & metunt, quæ non seminarunt, gulæque, & carnis illecebris inservientes, ac omni flagitiorum genere involuti quandoque etiam deprehenduntur, quia, ut præcitatus Auctor prosequitur (2), *non excoctis prioribus vitiis, ad solitariam se vitam immaturo desiderio transtulerunt, ideoque imperfecti semper, & fragiles quocumquè aura commotionis impulerit, inclinantur*.

(1) *Collat.* 19. *cap.* 8.

(2) *Collat.* 19. *cap.* 10.

II. Hujusmodi igitur absurdis occurrere cupientes, Eremitas ad ruralium, seu aliarum Ecclesiarum custodiam non assumemus, neque ab universitatibus, seu aliis legitimè præsentatos, instituemus, nisi de eorum vitæ, & morum integritate certiorati, Religiosum habitum (dissimilem tamen ab eo, quo Regulares utuntur, præsertim Cappuccini, sub pœna

na excommunicationis latæ in Conſtit. Apoſtolic. Pauli III. Pii IV. & Gregorii XIII.) de noſtris, ſeu Vicarii noſtri Generalis manibus ſuſcipiant, ſeu ab aliis approbatarum Religionum Superioribus ſuſcepiſſe doceant, aptitudinem, ac ſpiritum præſeferant ſerviendi Deo, & Eccleſiæ, ac in actis Epiſcopalis Curiæ obligationem emittant Nobis, & Succeſſoribus noſtris, nec non Parocho, ſeu alio à Nobis cuſtodiæ Eccleſiæ, cui ſedulò, ac diligenter inſervient, Deputato obedientiam præſtandi, & à reſidentia hujuſmodi ultra triduum abſque ejuſdem Parochi, ſeu Deputati licentia, non diſcedendi, ſub pœnis arbitrio noſtro infligendis, nec non fidem ſingulis trimeſtribus de ejus religioſa converſatione, ac morum innocentia ad Nos deferendi, ac inſuper ea omnia, quæ vel ex eorum quæſtuationibus, ſeu piorum largitionibus, ſeu etiam perſonali induſtria per eos comparari contigerit, deductis neceſſariis pro eorum congrua ſuſtentatione, in uſum, & beneficium Eccleſiarum, quibus præficientur, integre arbitrio noſtro erogandi, atque impendendi. Hiſque plenè ſervatis, à Nobis, ſeu Vicario noſtro Generali litteras patentes, ſub prædicto tenore typis exaratas obtinebunt.

III. In quæſtuationibus caveant Indulgentias publicare, concionari, Reliquias, aut privilegia circumferre, campanulam pulſare, eleemoſynas, tanquam debitas, aut ſolitas, ſive alio prætextu extorquere; ſed qua par eſt humilitate, & modeſtia pro Deo, & Eccleſia à benefactoribus petant, & cum gratiarum actione recipiant.

IV. In Eremi manſionibus, bannitos, contumaces, flagitioſos, neque mulieres cujuſcumque ſtatus, & conditionis ullatenus recipiant, imò neque honeſtos

ſtos viros ſinè noſtra, aut Vicarii Generalis licentia, aliàs ſeverè puniendos, & expellendos etiam, certò ſciant.

V. Quatenus autem cum enunciatis requiſitis admiſſi, Eremitorio fruantur, Fori, & Canonis, cæteriſque Clericalibus privilegiis ipſos gaudere non eſt ambigendum (3).

(3) *Gloſ. in cap.* Qui verè *v.* Sacro *16. quæſt. 1. Sac. Cong. & DD. apud Rmum Petr. ad Conſtit. Apoſtolic. tom. 1 pag. 299 ſect. 2. n. 14. & 18.*

CAP. VII.

De Confraternitatibus.

I. CONvenientibus in unum Fratribus ad ſacras preces, hymnos, & cantica piè perſolvenda, publicaſque ſupplicationes, agmine compoſito, inſtituendas, Chriſtiana charitas confoveri, pacis vinculum arctiùs conſtringi, Divinaque Bonitas juſtè in peccatores quandoque obdurata expugnari conſuevit. Idcirco Laicorum Confraternitates in Eccleſiis cum ſuis Regulis, ſeu Statutis ab unaquaque obſervandis, Sanctæ Sedis, ſeu Ordinarii auctoritate erigi ſolent; unica tamen, & non plures ejuſdem generis, ſive Inſtituti in ſingulis locis (1); Si Confraternitates Sanctiſſimi Sacramenti, & Doctrinæ Chriſtianæ excipias, quas in unaquaque Parochia erigi laudabile foret.

(1) *Bull. Clement. VIII. 24. Decemb. 1604. in ord. Bullа 115.*

II. Diſcoli, ſeditioſi, malæ famæ, facinoroſi, aut Fidei rudimenta ignorantes Confratrum albo non adſcribantur, adſcripti, & tertiò moniti non reſipiſcentes, deleantur. Recepti in una Confraternitate, in alia, cujus inſtitutum ſit compatibile, recipi non prohibentur; prout neque prohibentur Clerici, aut minores 16. annorum, ut hi etiam piis operibus in-

cumbere assuescant. Denuo admissi vestem, quam saccum dicunt, non nisi stata prece benedictum à Parocho, seu Cappellano, aut alio Sacerdote, accipiant, eademque vestis, prout etiam alia supellectilia sacra, etiam à Confratribus ad pium usum donata, in Confratriæ armario, & non alibi asserventur, ibidemque à quomodolibet recedentibus dimittantur, nisi defuncti Fratres sacco induti sepeliri velint; Hujusmodi autem veste amicti Sodales, arma gerere non audeant [2].

[2] *Vide ad materiam Decret. Sacr. Cong. apud Nicol. flosc. v.* Confraternitas.

III. In peculiaribus libris describat unaquæque Confraternitas inventarium omnium, & singulorum bonorum stabilium, mobilium, & semoventium, quæ possidet cum memoria Benefactorum, à quibus Sodalitati obvenerunt, diei, & anni, ac Notarii rogati. Item nomina singulorum Confratrum cum die, mense, & anno eorum receptionis. Item singulæ Congregationes cum resolutionibus in eisdem factis; denique redditiones rationum Officialium pro tempore cum partitis distinctis dati, & accepti sub certis diebus [3]. Qui quidem libri unà cum aliis scripturis publicis, & privatis ad Sodalitatem spectantibus asserventur in armario sub duabus clavibus, quarum una ab altero ex Prioribus, alia à Camerario retineatur.

[3] *Trid. sess. 22. cap. 8. & 9. de reform. Sacr. Cong. Conc. in Aliphana administrationis locor. pior. 8. Maji 1706.*

IV. Appensæ insuper retineantur in Oratorio uniuscujusque Confraternitatis distinctæ tabellæ, in quibus adnotentur Indulgentiæ, ac Privilegia eidem concessa à Summis Pontificibus, aut ex aggregationibus Archiconfraternitatum Almæ Urbis descendentia. Item in aliâ onera Missarum, seu alia per Sodales adimplenda in tali Altari, hebdomada, seu die, addita mentione Benefactoris, temporis, & Notarii rogati. In tertia scribantur Officiales pro tem-

tempore, qui singulis annis non viva voce, sed per secreta suffragia collegialiter, & à majori parte Sodalium coram Nobis, seu Vicario nostro Generali in Civitate, & in Diœcesi coram Foraneis, seu Parochis in eorum defectu eligantur. Debitorum Confraternitatis electio nulla sit, prout etiam confirmatio præcedentium Officialium, nisi nostra, vel Vicarii nostri licentia accedat, non sinè rationabili causâ concedenda [4].

[4] *Sacr. Congr. Episc. 11. Augus.* 1617.

V. Electi autem, à Superiore, qui Fratrum Congregationi præfuit, approbentur, & in ejus manibus præstent Juramentum de fideliter, diligenter, & gratìs administrando, ac in fine officii rationem reddendo intrà duos menses coram novis Prioribus, & duobus Sindicatoribus à Confratrum Congregatione eligendis, adhibitâ Vicarii Generalis, vel Foranei respectivè assistentiâ; eâque sindicatione peractâ, in calce administrationis registrandâ, & ab omnibus prædictis subscribendâ, reliquatum, si qui sit, intrà quindecim dies solvendo: cujus exactionem si novi Priores neglexerint, unà cum debitoribus in solidùm teneantur: subscribant insuper no vi Officiales Inventarium bonorum Societatis, vel novum fideliter conficiant, hisque peractis administrationem eis demandatam suscipiant.

VI. Nova onera perpetua absque nostra, vel Vicarii nostri Generalis licentia non acceptentur sub pœna interdicti ipso facto incurrenda; legitimè acceptata, curent Officiales, ut religiosè adimpleantur: Cappellani Missarum satisfactiones distinctè describant.

VII. Bona Confraternitatum, cæterorumque locorum Piorum, ultra triennium, seu tres fructuum recollectiones absque Apostolico Indulto nè locentur,

tur; neque colenda tradantur ipsarum Officialibus, eorumque consanguineis, & affinibus usque ad tertium gradum inclusivè, minùsque habentibus alia prædia eisdem confinantia, ad altercationes, & usurpationes præcavendas, multòque minùs debitoribus eorumdem locorum Piorum sinè Congregationis Sodalium consensu, ac nostrâ, seu Vicarii nostri Generalis licentiâ in scriptis [5] gratis obtinendâ.

[5] *Extrav.* Ambitiosæ *de reb. Eccles. non alienan.*

VIII. Contrafacientes, ultra contractus omnimodam nullitatem, pœnam scutorum decem incurrant, in usum sacristiæ ejusdem loci Pii applicandam. Locationes autem prædictæ fiant coram Nobis, seu Vicario nostro Generali, & respectivè Foraneis, prævia affixione Edictorum, ad extinctionem candelæ, ac meliori oblatori, adhibitis cautelis pro locorum Piorum indemnitate.

IX. Arbores fructiferas in eisdem bonis, Nobis, vel Vicario nostro Generali inconsultis, incidere nemo audeat sub pœna Excommunicationis à jure inflictæ, aliisque arbitrio nostro. Quo verò ad cæteras alienationes earum latissimè sumpto vocabulo, quidquid in jure, ac Tridentino Concilio, pœnis adjectis, sancitum est, religiosè observetur.

X. In Oratoriis Confraternitatum Tabernaculum cum Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento retineri absque Apostolica permissione non licet [6]. Neque pro Oratione 40. horarum exponi, aut processionaliter deduci, Ordinarii licentia non accedente. Permittitur tamen Missas lectas ibidem celebrari facere, horis tamen congruis, nè diebus Festis populus à Parochiali Missa avocetur. Abstineant eorum Cappellani à benedictionibus cum Sanctissimo Sacramento absque licentia nostra, & mulierum post partum, nec

[6] *Sacr. Congr. Episc. & Conc. apud Nicol. flosc.* v. Confraternitas *n.* 26.

nec non à functionibus Hebdomadæ majoris, thurificationibus Sodalium, seu aliorum, cæterisque Parochorum munus tangentibus; Sacerdotes, qui secus egerint, suspensionem à Divinis eo ipso incurrent; Sodales arbitrio nostro punientur.

XI. Licet verò in eorum Ecclesiis, seu Oratoriis Confessionalem sedem retinere (non tamen suggestum), ut Festis potissimùm diebus, convenientibus Fratribus ad Officii Beatissimæ Mariæ Virginis, seu Rosarii recitationem, ut peragi enixè hortamur, peccatis expiatis, Angelico Pane frequenter, excepto die Paschatis, reficiantur. Eleemosynæ etiam possunt ibidem colligi, dummodo amotis pelvibus, ac mensis, integrè, & fideliter in Sodalitatis utilitatem erogentur; extra verò quæstuare absque Ordinarii beneplacito non permittitur. Confraternitates in Parochialibus, seu aliis Ecclesiis erectæ proprium Altare manutenere teneantur, & non absimiliter, erectæ sub nomine Sanctissimi Sacramenti lampadem ante sacrum Tabernaculum alere, ut ex antiquissima, & laudabili consuetudine hactenus servare consuevere, ubi usu receptum est.

XII. Ad hoc, ut inconvenientibus, ac scandalis pro viribus occurramus, quæ exoriri solent ut plurimùm ex abusu Immunitatis, qua gaudent, ut alibi diximus, nedum Ecclesiæ, ac Oratoria Confraternitatum, verùm etiam domus, seu mansiones illis contiguæ, & annexæ, maximè cum Ecclesia communicationem habentes, aut inservientes pro Sacristia, aut spoliatorio Confratrum, districtè inhibemus, nè prædictæ mansiones locentur in posterum Laicis, præsertim reis, ac delinquentibus, neque alieno ære gravatis, absque nostra licentia in scriptis, in transgressores rigorosè animadversuri [7].

[7] *Sac. Cong. Immunit. apud Ricc. in Synops.* v. domus, seu ædes Canonic. *n.* 2. 3. & 4.

XIII.

XIII. Eâdemque animadversione occurrere curabimus, nostrarum visitationum Decretis inhærentes, si in prælibatis locis immunibus convocetur Consilium Communitatis, aut alia quælibet sæcularia negotia pertractentur, sive Confraternitatum sumptibus comessationes, convivia, jentacula, & compotationes habeantur. Quatenus verò ex aliquo legato, aut alia dispositione, & particularium expensis hujusmodi convivia habenda essent, aptiorem locum consulti assignabimus, eaque sacrâ lectione condiri mandabimus, si ita visum fuerit expedire [8].

[8] *Conc. Prov. Mediol. 1. apud Gavant. Manual.* v. Locorum Piorum cura *n.3.*

CAP. VIII.

De *Hospitalibus*, & *Hospitalariis*.

I. Hospitalitatem erga Christi pauperes Canonicis sanctionibus, Imperialibus legibus, Sanctorumque Patrum monitis juremerito commendatam, utpote Domini voci consonam: ***Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*** (1), & à sedula Pastorum vigilantia præcipuè promovendam, consovere pro viribus satagentes (2), statuimus, & ordinamus in Hospitalium custodes, & ministros, seu Hospitalarios non nisi maturæ ætatis, probos, industrios, ac expertæ in pauperes charitatis viros cooptandos, qui præviâ Ordinarii approbatione, præstitoque juramento, de fideliter administrando, ac de Hospitalium bonis, inventario confecto, rationem suo tempore reddendo, officium [3] suscipiant arbitrio ejusdem Ordinarii duraturum.

(1) *Matth.* 25.40.

[2] *Trid. sess.* 22. *cap.* 1. *de refor.* & *sess.* 25. *cap.* 8. *de refor.*

[3] *Sacr. Congr. Conc. in instruct. Episc. transmissa apud Crispin. visit. past. p.* 2. §. 38. *num.* 18. & *seq.*

II. Illorum munus sit in Hospitium recipere pauperes,

peres, & miserabiles, peregrinantes præcipuè, à quibus quidquam omnino, etiam sponte dantibus, exigere caveant, nec ultra unam noctem absque peculiari licentia rationabili de causa concedenda, morari sinant. Pueros à grandioribus, mares à fœminis, tametsi jugalibus, in distinctis cubiculis recipi mandamus. Personæ turpes, inquietæ, facinorosæ, arma deferentes, præstigiatores, blasphemi, aleatores, mercatores, aliique hujusmodi gyrovagi omnino arceantur (4). Sicuti etiam birruarii, seu alii ministri Laicalis Curiæ prætextu hospitii admitti postulantes.

[4] *Sac. Cong. Immunit. apud Ricc. in Synops. v.* Hospitale *n.9.*

III. Cubicula, lectos, cæteraque supellectilia emundare sæpe teneantur, & siquando ægrotos aliò transferendos esse contigerit, debita cum charitate id fiat, & de Medici permissione in scriptis, apud Hospitalarios diligenter asservanda.

IV. In Hospitali Sanctæ Mariæ Lauretanæ hujus Civitatis, & in aliis respectivè Diœcesis, Sacerdotibus, & Clericis tantùm destinatis, sæculares quicumque non recipiantur, absque nostra, seu Vicarii Generalis, aut Foraneorum licentia in scriptis, justis de causis, & non passim concedenda.

V. Dimidiâ ad summum horâ noctis claudatur janua Hospitalis, antequam dies elucescat non aperienda, nec antequam perquisitum fuerit, an de Hospitalis mobilibus aliquid sublatum fuerit, vel quidpiam alicui desit: aliàs Hospitalarius de proprio damna reficere teneatur.

VI. Satagant Hospitalarii, ac opportuna obsecratione, seu dulci increpatione incitare non desinant Peregrinos, ut de sero ante quietem, & de mane ante egressum ab Hospitali, pias fundant ad Deum

Deum preces, quinquies saltèm recitando Orationem Dominicalem, & Salutationem Angelicam in honorem vulnerum Domini Reparatoris, & litanias B. Virginis.

VII. Pro infirmis Parochus primùm, deinde Medicus festinè advocentur, ut animarum non minùs, quàm corporis saluti opportunè sit cautum.

VIII. Ægroti in Hospitalibus de rebus suis testari pro libito possint, si velint; si quis autem intestatus decedat, ejus bona, si quæ sint, non ad Hospitale, neque ad Fiscum deferantur, sed ad Episcopum, qui ea, vel hæredibus de Jure succedentibus, vel eis non extantibus, aut post diligentias adhuc ignotis, in usum pauperum erogabit [5].

[5] *Ex lege 9. Friderici 2. registrat. in cod. post lib. fœud. sub tit. de stat. & consuetud. confirmat. in Constit. Honorii III.* Has leges.

IX. Priores Confraternitatum, aliique, ad quos spectat, diligenter curent, ut in hospitalibus sufficiens adsit numerus rectorum, qui necessariis omnibus sint instructi. Ut autem expensis hujusmodi, cæterisque Xenodochiorum indigentiis succurratur, singulis annis, tempore præsertim messium, & vindemiarum deputentur Quæstores, seu Collectores eleemosynarum honestæ vitæ, ac probatæ fidei, qui à Nobis, seu Vicario nostro Generali in scriptis approbati, sinè fraude, nullamque Indulgentiam, seu Privilegium evulgantes, Piorum oblationes sponte datas cum gratiarum actione recipiant, ac de collectis eleemosynis rationem fideliter reddant iis, qui hospitalium manutentioni præsident.

X. Omnes autem, & singulos, & signanter Notarios, Cancellarios, Scribas, seu Archivistas præmonemus, ac præmonitos esse volumus, ut si quæ noverint legata, relicta, donata, seu quomodolibet destinata, bona, pecunias, seu actiones favore Hospitalium, ea

ea Nobis , seu nostro Generali Vicario , & respectivè Foraneis deferant , nè Benefactoru m piæ dispositiones frustratæ , pauperes hujusmodi subsidiis fraudati, ipsique mortalis culpæ reatui obnoxii remaneant .

XI. Conquestionibus insuper occurrere cupientes, quæ ad Nos ex contumacibus hospitalium confugio abutentibus sæpius delatæ fuerunt . Præcipimus , & mandamus Hospitalariis , ut in hujusmodi casibus Nos , vel Vicarium nostrum in Civitate , & respectivè Foraneos in Diœcesi certiorare non omittant ; Nos enim , constito de abusu, vel salvoconducto mediante, Confugas ad alia immunia loca tutò transferemus; vel ipsos abnuentes, & in præfixo termino non discedentes, ad formam Bullæ extrahi mandabimus, in Episcopalibus carceribus nomine Sacræ Congregationis Immunitatis retinendos , donec ipsa, transmisso Processu super abusu à Nobis confecto , opportunè providere dignetur [6]. Res etiam , & bona executionibus obnoxia , in Creditorum præjudicium intrà Hospitalia, recipi omnino vetamus [7] .

[6] *Sac.Cong.Immunit.apud Ricc.* *v.* Abutens Immunitate .

[7] *Eadem Sacr. Cong. apud eumdē* *v.*Bona asportata in Eccles. *n.* 4.

CAP. IX.

De Processionibus.

I. FIdelium cœtum sub sponsæ nomine figuratum *terribilem* fatetur, ac demiratur Omnipotens Dominus (1), si quando *ut Castrorum acies ordinatum* intueatur; utpote ad expugnandam precibus Cœlestem arcem, & misericordiæ penetralia transverberanda aptissimum. Jure igitur merito compositis agminibus supplicationes instruere consuevit pia Mater Ecclesia, de filiorum suorum progressu, atque utilitate solicita.

II. Hujusmodi porrò supplicationes, quas Processiones dicimus, qua decet modestia, ac devoti cordis affectu peragi jubemus, eas præcipuè, quæ ex Missalis, vel Ritualis præscripto ab unoquoque Parocho ordinari debent, videlicet candelarum, palmarum, & similes, & ad illas, quæ publicæ sunt; Episcopo præsertim interveniente, convenire volumus omnes Sacerdotes, & Clericos tam in minoribus, quàm in Sacris Ordinibus constitutos, superpelliceo, ac bireto, alioque signo suo gradui competenti respectivè indutos (2); Item Regulares, nisi ultra semimilliare distent, aut Apostolica auctoritate sint exempti, nec non Laicorum Sodalitates (3).

III. Publicæ autem Processiones dicuntur, quæ habentur solemni die Corporis Christi, in Jubileis, pro fame, peste, bello, aut terræmotu avertendis; item ad postulandam pluviam, serenitatem, publicam sanitatem, agrorum segetum, cæterorumque fructuum uber-

[1] *Cantic.6.*

[2] *Sacr. Congr. Episc. in Cajetana 5. Junii 1607. & in Ravellens. 5. Martii 1646.*

[3] *Trid sess. 25. cap. 3. de Regularibus, Sac. Cong. Conc. apud Piasec. prax. p.2.c.3. ar.6.n.47 & seqq*

ubertatem, victoriam contra Infideles, pacemque inter Reges, ac Christianos Principes, nec non pro electione Summi Pontificis, in Festo Sancti Marci, ac tribus diebus Rogationum, & aliæ hujusmodi.

IV. In incedendo servetur ordo præcedentiæ juxta usum, & consuetudinem potissimùm observandus, itaut antecedant minùs digni, digniores subsequantur. Inter Confraternitates Laicorum ea dignior habeatur, quæ cum sacco, seu fraternali habitu primò fuerit canonicè erecta [4], excepta Sodalitate Sanctissimi Sacramenti, cui præcedentiæ honor semper debetur in supplicationibus, in quibus defertur Sanctissima Eucharistia, ejusque Priores pergere debent cum cereis à latere Umbellæ, seu Baldacchini [5].

[4] *Conc. Prov. Mediol. 6.*

[5] *Sac. Cong. Rit. in Vercellen. 18. Junii 1695. & in Cremen. 3. Augusti 1697.*

V. Antecedant igitur in Civitate (quod proportionaliter etiam servandum erit in Diœcesi) suo ordine Sodales Confraternitatum propriis saccis, seu vestibus induti, bini, gravi incessu, æqualique distantia, nempe unius passus inter collaterales, & trium inter antecedentes, & subsequentes; deferantque sua Vexilla, ac Crucifixi Imagines, velo circumposito de more ornatas. Subsequantur Regulares sub suis uniuscujusque Crucibus, non quidem nudis, sed velo ab eis pendente instructis [6], serventque inter eos præcedentiam juxta formam Bullæ 84. Gregorii XIII. Hisque succedant Parochi, quorum antiquior tantùm Crucem attollat, & sub ea omnes incedant. Sequantur sub propria Cruce Rector, & Canonici Collegiatæ Sancti Angeli Custodis nuper erectæ. Postmodum sub Cruce Ecclesiæ Cathedralis, Clerici, Alumni Seminarii, Sacerdotes simplices, Beneficiati, Canonici, & Præpositus, servato ordine quoad Clerum, itaut inter insignitos

[6] *Sac. Cong. Rit. 14. Janu. 1617.*

æqualibus Ordinibus ratio non habeatur ad majorem ætatem, nobilitatem, aut doctoralem gradum, sed tantùm ad anterioritatem suæ promotionis ad Ordines, seu Beneficia. Post Umbellam gradiantur Prælati, si adsint, & Protonotarii, denique Magistratus, & Populus, viri priùs, deinde mulieres.

VI. Præ cæteris autem numerosiori supplicantium concursu, ac omni, qua fieri poterit, pompâ, & honore solemnizanda erit Processio Sanctissimi Sacramenti in ejus celeberrima solemnitate [7]. Viæ diligenter expurgatæ, floribus, ac viridantibus foliis contegantur; laterales parietes, ac fenestræ tapetibus, aulæis, picturatisque tabulis, atque imaginibus, non tamen Gentilitatem, sive inhonestatem redolentibus exornentur. Campanæ in exitu, transitu, ac reditu in singulis Ecclesiis pulsentur; Sanctorum in ea Reliquiæ non deferantur.

[7] *Trid. sess. 23. cap. 5. de cultu, & venerat. Sanctissimo Sacram. debit.*

VII. Hastæ Baldacchini ab Ara majori usque ad januam Ecclesiæ tam in exitu, quàm in reditu à Sacerdotibus, & Clericis sustineantur: successivè à Magistratu, & Nobilioribus, deinde ab Officialibus Societatis Sanctissimi Sacramenti, & reliquarum Sodalitatum, itaut hastæ anteriores dignioribus assignentur [8]. Deferentes, tametsi nobiles, aut milites, ensem deponant. Ordo procedendi non interrumpatur genuflexionibus ad illa verba: *Te ergo quæsumus*, neque ad illa: *Tantum ergo Sacramentum*, cùm id deformitatem generare soleat.

(8) *Rot. in Taurinen. delationis Baldacchini dec. 419. p. 9. tom. 2. recent. Caremon. Episc. p. 2. cap. 14.*

VIII. Processione hujusmodi perdurante, claudantur artificum officinæ, eademque transeunte, esculenta etiam, & poculenta vendi, aut venalia publicè exponi omnino inhibemus. Spectatorem

torem quemquam à fenestris pendere non decet, sed ad ostia unusquisque descendat, & genuflexus Angelorum Panem adoret, nisi infirmitate, aut legitimo alio impedimento detineatur.

IX. Spectacula per vias, & plateas publicè exhiberi, etiamsi Martyrum cruciatus referentia interdicimns, vim ad risum plerumque, & graviora etiam scandala, repræsentationes hujusmodi ut plurimùm permovere sit compertum. Tormenta, seu alia instrumenta bellica, Processionibus quibuscumque transeuntibus, nè explodantur, Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium id reprobante, prout latiùs innuimus in nostro Edicto [9]. Neque musicalia instrumenta cujuscumque generis pulsentur, juxta sensum Sancti Caroli Borromæi inter Pastores vigilantissimi.

(9) *In Vintimil. 2. Julii 1613.*

X. Regularibus permittuntur eorum menstruæ Processiones intrà Claustra, seu Claustris deficientibus, propè, & extra muros propriæ Ecclesiæ, per eamdem, seu aliam portam redeundo [10]. Solemniores verò, & generales Processiones quotannis instrui solitæ in honorem Beatissimæ Mariæ Virginis Sanctissimi Rosarii, Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo, Cincturatorum Sanctæ Monicæ, vel Cordigerorum Sancti Francisci, Sancti Antonii de Padua, & similes de nostra, vel Vicarii Generalis licentia, etiam per Civitatem, & loca Diœcesis deduci poterunt [11], dummodo per Ecclesiam Monialium, etiam sibi subjectarum non transeant, contraria quoque consuetudine non suffragante [12]: id enim prohibet Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium; Permittitur verò hujusmodi transitus

(10) *Sac. Cong. Rit. in Savonen. 17. Septĕbr. 1671*

(11) *Ead. Sacr. Cong. in Senogallien. Terræ Corinaldi 22. Junii 1675. in respons. ad 8.*

(12) *Sacr. Congr. Episc. apud Nicol. v.* Processio *n. 19. & ad in Pisauren. 24. Novembr. 1617.*

ctus Clero Sæculari, non tamen ſanguineis flagellis ſe cædentibus, qui ſi alias Eccleſias ingrediantur, ab Altaribus ſecedant, nè ea, proſiliente ſanguine, deturpari contingat.

XI. Nocturnas Proceſſiones omnino prohibemus, ut ſcandalis ſæpe ſæpius indè exoriri ſolitis occurramus; ſi ſecus fieri juſta ratio dictabit, id per Nos, vel Vicarium noſtrum Generalem opportunè declarabitur.

CONSTITUTIONUM SYNODALIUM

PARS QUARTA.

CAP. I.

De Indulgentiis.

QUoniam culpæ reatu ſublato, pœnæque æternitate remiſſa, remanent adhuc in peccatoris anima delicti maculæ, quæ non niſi temporalis pœnæ luitione deleantur, antequam revelatum Dei vultum cernere, & in atria Domini liceat introire: hujuſmodi etiam incommodo occurrere non omiſit Reparator humani Generis, cujus miſericordiæ non eſt numerus, Indulgentiarum ærarium, & theſaurum ex Paſſionis ſuæ, Sanctorumque meritis coacervatum, Eccleſiæ ſuæ commodo, atque utilitati conſtituendo [1], à quo condigna pro delictis ſatisfactione mutuata, ac diſtricto Judici oblata, Gloriæ ejus participes faciliùs efficiamur.

(1) *Trid. Seſſ. 25. in decret. de Indulgent.*

II. Hu-

II. Hujus autem thesauri primarius dispensator est Romanus Pontifex Sancti Petri legitimus Successor, & visibilis Christi Vicarius (2), qui proinde plenarias, seu amplissimas Indulgentias universo Orbi concedere potest, vivis quidem, utpote subditis Ecclesiæ per modum absolutionis, animabus verò Purgatorio igni mancipatis per modum suffragii, sive precum, & impetrationis, tanquam de Ecclesiæ jurisdictione egressis. Eademque dispensandi facultas residet penès Oecumenicum, seu Generale Concilium legitimè congregatum, præsente Summo Pontifice, eo verò absente, centum, vel quadraginta dierum.

(2) *C.* Cum ex eo *in fin. de pœnit. & remiss.*

III. Præterea ex Supremæ Sedis concessione largiri possunt Indulgentias Cardinales Pontificii Legati perpetuas centum dierum suæ Legationi subjectis. Item cæteri Cardinales in Ecclesiis suorum Titulorum ad tempus: Archiepiscopi 40. dierum per totam eorum Provinciam: Eamdemque Indulgentiam 40. dierum, & non ultra, in perpetuum quoque duraturam, non tamen pro Defunctis concedere possunt Episcopi, etiam non dum consecrati, à Papa tamen confirmati, subditis suis, ac etiam forensibus in eorum Diœcesi commorantibus, cum facultate concessionem hujusmodi delegandi suis Vicariis, vel aliis Ecclesiasticis. Die verò Dedicationis Ecclesiæ Indulgentiam unius anni impertiri poterunt, & in Anniversario Consecrationis ejusdem 40. dierum, perpetuis etiam futuris temporibus profuturam. Qui Episcopali Jurisdictione carent, sinè speciali privilegio, aut commissione Summi Pontificis, aut respectivè Episcopi, Indulgentias concedere nequeunt (3).

[3] *Cap.* Accedentibus *de excessibus Prælat.*

IV. Quòd attinet ad publicationem Indulgentiarum

rum denuo concessarum, tametsi pro Regularium Ecclesiis Brevium recognitio, easdemque publicandi licentia gratis omnino præstanda, ad locorum Ordinarios privativè spectat, non verò ad Regulares, multòque minùs Magistratus, aliosque Laicos Ministros exemptione, aut consuetudine quacumque in contrarium non obstante (4).

(4) *Sacr. Congr. Immunit. in Firmana 12. Junii 1703. apud Ricc. Synops. v.* Indulgentia.

V. Translato Festo, pro quo concessa fuit Indulgentia, ipsa tamen non transfertur, nisi hoc expressè concedatur, cùm sit tali diei affixa [5]. Semel autem lucrifieri potest in die, cui assignata fuerit, sive ea concessa sit, quæ Urbis Stationibus assignata est, sive alia Plenaria per adimplementum piorum operum, quæ à concedente injuncta fuerint, acquirenda. Et dies hujusmodi non à media nocte præcedenti ad sequentem computanda est, ut de die naturali, & civili servari solet, sed à primis Vesperis præcedentis diei, usque ad solis occasum sequentis: Id enim quoad Indulgentias specialiter observare consuevit Ecclesia, nisi aliter exprimatur in Brevi, seu Bulla Indulgentiarum [6]. Neque poterit unus pro alio Indulgentias Vivis concessas acquirere, sed unicuique sibi tantùm applicare integrum erit.

[5] *Sacr. Congr. Rit. 10. Junii 1690. & 30. Septembr. 1679.*

(6) *Cap. 1. de consecrat. dist. 3. Clement. 1. in fine de reliqu., & venerat. Sanct.*

VI. Conceduntur quandoque Indulgentiæ in forma Jubilei, quæ à Plenariis non differunt, quoad remissionem pœnæ, sed tantùm quoad Jurisdictionem Confessariorum, quæ amplissima in eo casu concedi solet, tum ad absolvenda reservata, & censuras, tum ad vota dispensanda, & commutanda, prout servatur Anno Jubilei, seu Remissionis, qui vigesimo quinto quoque anno nostris hisce temporibus Apostolica auctoritate publicatur, suspensis, eo perdurante, cæteris Indulgentiis plenariis, non tamen regulariter concessis pro mortis articulo, neque pro Defunctis,

aut Altaribus Privilegiatis, nisi id expressè in publicatione Jubilei sit cautum; & excepta etiam Indulgentia concessa visitantibus Ecclesiam Sanctæ Mariæ Angelorum, seu Portiunculæ extra muros Civitatis Assisii die 2. Augusti, ut sancivit s.m. Innocentius XII. per litteras in forma Brevis 21. Augusti 1699.

VII. Indulgentias quascumque cuilibet Ecclesiæ Nobis subjectæ concessas in peculiari libro referri volumus, & in Archivo ejusdem Ecclesiæ asservari, & ulteriùs in patenti Tabella exaratas publicæ Fidelium notitiæ conspicuo loco exponi.

VIII. Mandamus insuper Parochis, ut associantibus Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pro Viatico ad Infirmos delatum, in reditu ad Ecclesiam, & ante benedictionem de more Populo elargiendam, publicent Indulgentiarum thesauros à Summis Pontificibus eisdem concessos, & signanter à ss. mm. Innocent. XI. & XII. quarum notitiam, unà cum reliquis, quæ ad ejusdem sacræ functionis congruam celebrationem servanda erunt, colligere poterunt à libello, cui titulus *Regole, & Istruzioni, che si devono osservare nell'accompagnamento del Santissimo Sagramento*, Romæ impresso de mandato ejusdem fel. rec. Innoc. Papæ XII. quem proinde libellum ab unoquoque Parocho volumus retineri.

IX. Denique si dubitari contingat de germano sensu clausulæ in Brevibus Indulgentiarum apponi solitæ videlicet -- *Volumus autem, ut si aliàs Christifidelibus dictam Ecclesiam qualibet anni die visitantibus aliqua alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus non dum elapsum duratura concessa fuerit, præsentes litteræ nullæ sint*, consulat Decretum Sacræ Congregationis Indulgentiarum, anno 1676. emanatum, quod in fine hujus Synodi registrari curavimus.

CAP. II.

CAP. II.

De Legatis Piis.

I. **F**Acultas per Sacrorum Canonum, & Tridentini Concilii Sanctiones Episcopis amplissimè attributa, ut non modò proprii officii ordinaria auctoritate, sed etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati pias quascumque Benefactorum dispositiones exequantur, Privilegio quolibet, Statuto, aut Consuetudine, etiam immemorabili non obstantibus (1), frustranea sæpe sæpius, inutilisque dignoscitur ex eo quòd eorum, ad quos spectat, malitiâ, aut incuriâ dispositiones hujusmodi Ordinariorum notitiæ occultentur.

(1) *Trid. Sess. 22. cap. 8. de refor.*

II. Quapropter strictè monemus, & pro monitis præsenti hac Synodali Constitutione haberi volumus omnes, & singulos Notarios, Cancellarios, Parochos, Executores Testamentarios, atque Hærèdes etiam Laicos ovili nostro adnumeratos, qui de piis, ut præmittitur, dispositionibus rogati fuerint, scripturas confecerint, aut aliàs quomodolibet notitiam habuerint, quatenus intrà trimestre saltèm à Testatorum morte, seu à die, qua pia dispositio perfecta fuerit, computandum, Nobis, vel Vicario nostro Generali, & respectivè Foraneis rem deferre teneantur (2). Transgressores, ultra mortalis culpæ incursum, præsertim si Almæ Domui Lauretanæ pia assignatio destinata fuerit, pœna scutorum decem, aliisque corporalibus arbitrio nostro, & in subsidium excommunicationis, seu respectivè suspensionis à Divinis coercendos fore se sciant. Parochis quoque strictè præcipiendo mandamus, ut inter Missarum solem-

(2) *Cap.* Agrum si quis *de Cleric.* 12. *quæst.* 2. *S. Pius V. constitut.* 56. *incip.* Ad Romanũ Pontificẽ, *Et apud Monacel. p.* 1. *tit.* 6. *formul.* 15. *n.* 8. *& p.* 2. *tit.* 14. *formul.* 1. *n.* 16.

ſolemnia Populũ ſæpe moneant de obligatione adimplẽdi pia Legata,eaq; reſpectivè,ut ſupra,denunciãdi.

III. Quas quidem denunciationes, ſeu revelationes cum ſuis circumſtantiis per Cancellarium noſtrum Epiſcopalem in peculiari libro diligenter regiſtrari volumus, & mandamus, ut earum celeri adimplemento conſuli poſſit.

IV. Harum verò denunciationum materiam noverint omnes, ea omnia eſſe, quæ relinquuntur, vel per ultimam voluntatem, vel quomodolibet inter vivos nedum pro Dei amore, & animæ ſalute, quæ præcipua, & favorabiliora dignoſcuntur, Eccleſiis, Monaſteriis, Seminariis, Pauperibus, Hoſpitalibus, etiam Ordinarii auctoritate non erectis, pro ſupellectilibus, ornamentis, luminibus, item pro Concionatoribus, Rectoribus, aliiſque Eccleſiæ Miniſtris, vel Dei cultum reſpicientibus, tam pro Miſſis, quàm aliis piis uſibus; verùm etiam pro incertis, & malè ablatis, aut conſcientiæ exoneratione [3].

[3] *Rot. dec. 302. n. 8. p. 13. rec. & alibi.*

V. Item pro Puellis egenis, aut orphanis nuptui tradendis, pro Captivis redimendis, vel pro Adoleſcentibus in ſtudiis enutriendis, præſertim Theologiæ, & Sacrorum Canonum, quæ omnia piorum Legatorum nomine comprehenduntur, prout etiam Legatum libertatis ad favorem ſervi, aut etiam meretricibus relictum (non tamen ab Amaſiis), ut ad meliorẽ frugem ſe recipiant, & generaliter omne id, quod ob Dei honorem, vel publicum bonum cadit ſub nomine piæ cauſæ latiſſimè ſumpto vocabulo [4]; Quæ omnia, ut debitæ executioni demandentur, onus eſt Ordinariorum, tametſi Benefactores in relictis ad pias cauſas Epiſcopis manus apponere expreſsè vetaverint: hæc etenim clauſula Juris diſpoſitioni contraria, & animæ Teſtatorum noxia, habetur pro non appoſita [5].

[4] *Rot. deciſ. 74. par. 2. diverſ.*

[5] *Cap.* Tua nos *de teſtam.*

VI.

VI. Ad exequenda pia Legata sinè temporis præfinitione relicta, Hæredibus, seu executoribus à lege conceditur annus à die aditæ hæreditatis, quo elapso, Ordinario devolvitur executio, qui etiam per sequestrationem bonorum hæreditariorum, de plano, & non servato Juris ordine procedere poterit in re, quæ celerem expostulat executionem, nisi cum Reverenda Fabrica Sancti Petri de Urbe fuerit compositum [6]. Compositio autem non suffragatur, si dolosè omissum fuerit Legati pii adimplementum juxta Constitutionem s. m. Innoc. XII. de celebratione Missarum.

[6] *Text. apud Panimoll. decis.* 12. *adnot.* 6. *&* 7. *& Justinian. Constit lib.* 2. *tit.* 1. *cap.* 52 §. 56.

VII. Mobilia, semoventia, aut pecunia legata, Nobis consultis penès Personam fide, & facultatibus idoneam deponantur, donec juxta disponentium voluntatem in Bonis stabilibus, & fructiferis de licentia nostra reinvestiantur [7].

[7] *Sacr. Congr. Conc. Decr. Edito anno* 1625. *& ex Gavant. v.* Missa *num.* 53.

VIII. Testamenta ad Sacrorum Canonum normam [8] à Parocho vice Notarii, duobus, vel tribus testibus adhibitis conscripta, in librum ad hoc bene compactum ab eo redigantur, & eorum exemplum manu ejusdem Parochi exaratum, & à Testibus, qui actui interfuere, subscriptum, vel scribere nescientibus, Cruce signatum, in cujusvis loci Archivis servandum exhibeant intrà mensem, sub pœna scutorum decem in pios usus erogandorum, aliisque arbitrio nostro.

[8] *Cap.* Cum esses *de testam.*

IX. Anniversaria in Regularium Ecclesiis, à Sæcularibus Presbyteris facienda ad Benefactorum præscriptum, non debent ab iisdem Regularibus præpediri, cùm ipsis præjudicium exinde nequeat ullatenus generari [9].

[9] *Sacr. Congr. Episc. in Lucana* 21. *Junii* 1630.

X. Si post Anniversaria, & Exequias juxta locorum consuetudinem parentur convivia, ea, expensarum

ſarum ſuperfluitate, exceſſu, ac ſcandalis remotis, ſobriè, ac modeſtè peragantur, ſacra aliqua lectione, prævia benedictione, ac ſubſequenti gratiarum actione condiantur, pauperum, & eſurientium convivæ ſint memores [10].

[10] *Eadem in Marianen. 6. Decembris 1588.*

CAP. III.

De Funeribus, & Sepulturis.

I. Defunctorum Cadaveribus ſtatis cæremoniis juſta perſolvere, eiſque, pyramidibus, mauſoleis, columnis, aliiſque hujuſmodi extructis ædificiis, requiem parare, barbaris etiam Nationibus à rerum natura indita ſuaſit Religio, fortiùs tenenda à Fidelibus Populis, quibus, Fide docente, innotuit Reſurrectio mortuorum, ut corpora Fidelium, quæ templa fuerunt Spiritus Sancti in magno Judicii die cum felicibus animabus vitæ perennis participationi reſerventur. Quare celeberrima adhuc naſcentis Eccleſiæ extant Cœmeteria, Martyrum trophæis, & cæterorum Chriſti militum exuviis illuſtria, quibus noſtris hiſce temporibus ſucceſſere ſepulchra in ſacris Eccleſiis extructa ad habitaculum Mortuorum.

II. Sepulturam igitur unuſquiſque ſibi poteſt eligere in Eccleſia, ſeu loco ſacro, in quo tumulandi Jure gaudeat ex immemorabili conſuetudine, privilegio, vel Ordinarii licentia. Dummodo libera hujuſmodi dignoſcatur electio, & non voto, juramento, pacto, ſuaſionibus, aut ſuggeſtionibus extorta, nè irrita alioquin efficiatur electio, & extorquens indictis à Jure pœnis ſubjaceat [1]. Quare monitos eſſe volumus Confeſſarios, alioſque ad ægrotos accedentes, nè eos interrogare audeant, an in tali Eccleſia ſepeliri velint, cùm petere tantùm poſſint, an alicubi

[1] *Cap.* 1. & Cum liberum, *cap.* De uxore, *& ſeq. de Sepult. Clement. fin. de pœnis cap.* 1 *de ſepult. in* 6.

cubi in genere sibi eligant Sepulturam, si pœnas supra expressas [2] cupient evitare.

[2] *Vid. Gavant. in manual. v.* Sepultura *in addit. n.1.*

III. Tali verò legitima electione cessante, unusquisque sepeliendus est in Sepulchro Majorum, hoc est, ubi Pater, vel Avus non casu, & ex accidenti, sed tanquam proprio sepulti sunt, si adsit, sin minùs in Ecclesia Parochiali [3].

[3] *Cap. 1. de Sepultur., cap.* Is qui *eod. tit. in 6. & alibi.*

IV. Advenæ, & Peregrini, non electâ Sepulturâ, decedentes, tametsi in Regularium Conventu, & ab eis etiam Sacramentis ante obitum muniti, quod intellige in casu dumtaxat necessitatis, vel cum licentia proprii Parochi, aliter pœnas à Jure latas, qui Sacramenta administraverit, non evadet, sepeliantur in Cathedrali, & respectivè in majori Ecclesia locorum, nisi ob domicilii acquisitionem rationabili temporis mora contracti, alteri Parochiali Ecclesiæ jus sepeliendi fuerit acquisitum [4].

[4] *Vid. Pignatel. tom. 1. cõsult. 144.*

V. In Ecclesiis autem Monialium, sive interioribus, sive exterioribus sinè licentia Sacræ Congregationis, & consensu Monialium, sepeliri non permittitur [5].

[5] *Sacr. Congr. Episc. pluries apud Petram ad Constit. Apost. tom. 2. pag. 199. n. 29.*

VI. Oblati in Claustro sub obedientia degentes, qui sese cum bonis omnibus Monasterio donaverint, tumulandi erunt in propria Regularium Ecclesia [6]. Ita etiam Uxor in tumulo, ubi sepultus est Vir, & quidem ultimus, si pluribus nupsit, Majorum quoque Sepulchro extante, si aliud sibi non elegerit [7]; non potest tamen Maritus Uxori prædecedenti Sepulturam eligere, nisi ipsa vivente [8].

[6] *Vid. relat. per Antonell. de regim Eccles. lib. 1. cap. 12. n. 24. & per Marchet. de Sepult. tit. 38. §. 2. n. 60.*

[7] *Cap.* Is qui *§. final. de Sepult. in 6.*

[8] *Thomat. decis. 257.*

VII. Quoad infantes, & impuberes, quia in hac Civitate, & Diœcesi non viget consuetudo gaudendi Sepultura à Patre, vel Matre electa, qui septennium, ac pubertatem non attingunt, si pro ipsis adsit speciale Sepulchrum, ibi tumulentur, aliàs in Sepul-

pultura Majorum, seu ea deficiente, in Parochiali [9]; si tamen adsit Sepulchrum à Patre pro familia destinatum, filius Patri prædecedens, etiam paternâ hæreditate renunciatâ, vel præteritus, eò inferri debet; non etenim sanguinis conjunctioni renunciavit, ob quam unio debetur in eodem Sepulchro [10].

VIII. Infantes autem ante Baptismi gratiam mortui in loco non sacro, ad id specialiter destinato prope Ecclesiam tumulentur, prout etiam fœtus in defunctæ Matris ventre mortuus, & extractus, si verò extractus non fuerit, unà cum Matre, cujus est pars, in loco sacro Sepulturæ tradatur [11].

IX. Confratres Sodalitatum, etiam existentium in Ecclesiis Regularium, servare debent ordinem pro cæteris assignatum Sepulchri electi, Majorum, vel Parochialis, non verò in eorum Oratorio, & tumulo pro Confratribus destinato recondi, nisi id concedat eorum Statutum à Sede Apostolica cum Parochialium Jurium derogatione confirmatum [12]. Quatenus verò in Oratorio Confraternitatis sint sepeliendi, Officium super Cadavere fiat à Parocho, & ab eodem cantetur Missa, si velit, sin minùs à Cappellano Confraternitatis ejusdem [13].

X. Ecclesiastica Sepultura privantur hæretici, excommunicati publicè denunciati, aut notorii Clericorum percussores, interdicti dum viverent ab ingressu Ecclesiæ, usurarii publici, & manifesti, nisi ante mortem satisfecerint, vel idoneam cautionem de restituendo præstiterint, mortui in duello, per seipsos interempti ferro, laqueo, submersione, aut præcipitio, (si id desperationis causa fecerint, non verò, si ad pudicitiam tuendam, sive ex furore, aut insania); blasphemi ulteriùs, ac publici peccatores sinè pœnitentiæ signo decedentes [14]. Quòd si aliqui

ex

[9] *Vid. relat. à Panimoll. decis. 5. adnot. 3. n. 23.*

[10] *Sperell. decis. 88. n. 8.*

[11] *Ibidem n. 19.*

[12] *Vid. relat. à Pauimoll. dec. 5. adnot. 3. n. 53. & 54.*

[13] *Sacr. Congr. Rit. apud Monacell. primæ editionis tom. 2. pag. 11. in respons. ad 20. dub. & pag. 17. n. 70. cum seqq.*

[14] C. Fures 13. *quæst. 2. c.* Omnis utriusque sexus *de pænit. & remiss. Clement. 1. de Sepulturis.*

ex prænominatis Ecclesiasticæ Sepulturæ traditi fuerint , indè exhumentur illico ; & extra immunia loca ejiciantur ; Ecclesiæ , aut Cœmeteria reconcilientur [15] .

XI. Parochi , aliique Ecclesiarum Rectores recognitiones vulneratorum , vel cadaverum in locis immunibus existentium non permittant Laicis Judicibus , seu Ministris [16] sub pœna violatæ Immunitatis , sed Nobis , vel Vicario nostro Generali certioratis , qui juxta Sacræ Congregationis Immunitatis decreta providebimus ; ita etiam Nobis , sive Vicario nostro non requisitis , cadavera perpetuæ Sepulturæ tradita non exhumentur , neque aliò transferantur [17] .

XII. Campanæ signo , statim sequuta alicujus morte , de ea populus moneatur , & ad preces Deo fundendas pro ejus salute invitetur . Mortuo Summo Pontifice , pulsentur Ecclesiarum omnium Campanæ ; in Cathedrali , & Collegiatis cantetur pro eo Missa , singulique Sacerdotes ejus Animæ incruento Sacrificio suffragari non omittant . Prout etiam celebrent quamprimum pro defuncto Episcopo ; Campanæ itidem Parochialium Ecclesiarum omnium edant mœstitiæ, ac doloris signa , & ad orandum pro eorum Pastore unumquemque excitent .

XIII. Celebretur ulterius quotannis in Cathedrali Anniversarium Episcopi ultimo loco defuncti ad Cæremonialis Episcoporum præscriptum [18] . Parochus item recolat Anniversarium immediati Prædecessoris cum Missa solemni , quam etiam celebrent Canonici pro defuncto Canonico .

XIV. De cætero servetur pia , & laudabilis , & antiqua Consuetudo, in hac Civitate, & Diœcesi introducta , ut mutuis Sacrificiis Sacerdotum animæ

[15] *Vide relat. per Petrā ad Const. Apost. tom.2. pag.398. à n.53.*

[16] *S. Cong.Immunit.apud Ritt.* v.Episcopus quoad Immunitatem *n.26. & 27. & v.* Recognitio Corporis delicti .

[17] *Ritual.Rom tit. de Exequiis .*

[18] *Lib. 2. cap. 36.*

juventur. Idcirco Vicariis Foraneis strictè injungimus de obitu Sacerdotum quorumcumque statim Nos admonere, ut, datis litteris circularibus, Sacrificii suffragium à viventibus exigamus, pari retributione compensandum.

XV. Invitati ad funus in proprio Ecclesiastico, seu chorali habitu accedant; nemo cum pileo, nisi nocturno, aut pluviali tempore [19]: Confratres Sodalitatum vultu suis saccis contecto. Parochus supra superpelliceum stolam assumat, & in funebri processione Capitulo Cathedralis, & Collegiatæ digniorem locum cedat [20]. Sacerdotum, & Clericorum cadavera juxta Ritualis Romani præscriptum habitu sacro eorum Ordini congruenti induantur, non alicujus Confraternitatis, aut Religionis [21]; neque Sacerdotum manibus aptetur Calix cum Patena, ut abusivè introductum est; Et in feretro exposita Presbyterorum Cadavera habeant caput versùs Altare, cæterorum è contra aptata locentur [22]. Nemo extra feretrum in terra, vel supra culcitram exponatur; id enim vetuit Eminentissimus Vicarius, Sanctissimo mandante, sub die 9. Decembris 1704. [23].

XVI. Convenientibus ad Exequias non distribuantur singulatim per manus eleemosynæ, ut non sinè maxima indecentia abusus irrepsit; sed unicuique Capitulo, Religioni, aut alio corpori taxata summa, absoluto officio, Camerario, aut alteri ad hoc deputato, seu Parocho consignetur proportionabiliter inter singulos extra Ecclesiam distribuenda: Ita etiam intortitia, & cerei circa cadavera delati, non nisi expletis Exequiis, & justis integre persolutis, amoveri, aut extingui volumus. Sudariola, aut similia Crucibus appendi, & feretro colligari vetamus; sed eadem, sive eorum pretium cum

cæte-

[19] *Ritual. Rom. tit. de process. & ex Edict. Emi Vicarii Urbis de mandato Sanctissimi 9. Dec. 1704. relat. à moderno Statut. Cler. Rom pag. 84.*

[20] *Sacr. Cong. Rit. in Viterbien. 25. Junii 1611. in Nullius 12. Maji 1612. & in Prænestina Cavarū 14. Aug. 1618.*

[21] *Edict. Emi Urbis Vicarii 4. Febr. 1705. penès Statut. Cler. Rom. pag. 85.*

[22] *Rit. Rom. tit. de Exequ.*

[23] *Apud Stat. Cler. Rom. noviter impress. pag. 84. ex Rit. Rom. eod. tit. de Exequ. in rubric. vers.* Deposito feretro.

cæteris emolumentis ut supra consignentur. Contrafacientes, amissione Quartæ funeralis, & gravioribus etiam arbitrio nostro pœnis inobedientiam luent.

XVII. Pauperum, & miserabilium defunctorum corpora gratìs, & sumptibus Parochi sepeliantur, adhibitis quatuor, vel duobus saltèm luminibus, nisi alicujus piæ Sodalitatis charitate necessaria subministrentur.

XVIII. Ultra consuetam eleemosynam nihil ulterius exigatur, sive tumulandus civis sit, vel exterus, aut Exequiæ in Ecclesiis Regularium, seu Sæcularium fiant; neque Sepultura mortuis, ob non soluta emolumenta, neque aliâ quacumque de causâ retardetur; neque recipiantur pignora pro emolumentis, seu Quarta funerali, sed expleto funere contra non solventes agere unicuique integrum erit [24].

[24] *Sacr. Congr. Episc. in Frequentina* 12. *Februar.* 1677.

XIX. Cadavera ad Ecclesiam non deferantur de manè ante auroram, de serò post Salutationis Angelicæ signum, neque de die, Missæ majoris celebratione durante [25]; neque sepeliantur, nisi post horam ab obitu duodecimam æstivo tempore, & hyemali vigesimam; repentinâ verò morte sublati, non nisi post vigesimam quartam. Mulierum, seu Conjunctorum ululatus, & aliæ hujusmodi Gentilitatis reliquiæ penitùs extirpentur, nè per vias, & in Ecclesiis psallentium Chorus perturbetur.

[25] *Sacr. Congr. Conc. in Novarien. funerũ apud Monacell. part. 2. prim. impression. pag. 22. in respons ad 4. & 6. dub.*

XX. Tumulorum ostia, eorumque opercula, quæ in Ecclesiæ pavimento sunt, ejusdem Ecclesiæ planitiei perfectè coæquentur, & ab Altaris pradella trium saltèm cubitorum intercapedine distent. Cadavera sub eadem pradella, sive Altaris gradibus non ponantur, multò minùs sub Altari. Si quæ ibidem concavitas remanet, muro obstruatur, & à cada-

daveribus separetur, nè ad ejusdem Altaris interdictum procedere cogamur [26].

XXI. Crucis, aut Sanctorum Imagines in prædictis operculis sculpi prohibemus, nè pedibus indecenter terantur; neque in Ecclesiæ exterioribus parietibus, seu segregatis locis depingi, ad mictum prætereuntium arcendum, sub pœnis arbitrio nostro infligendis [27].

XXII. Defunctorum marmorea monumenta muris Ecclesiarum adhærentia permittuntur, afferunt siquidem ornamentum non indecentiam, cadaveribus tamen sub terra locatis [28]. Caveant autem Ecclesiarum Rectores, nè earum pavimenta effodiantur ad recondenda cadavera, etiam ligneis arcis inclusa; sed ea in fabrefactis tumulis omnino reponant. Mortuorum decubitorium, seu dormitorium, vulgò Cœmeterium, muro, seu sepe saltèm circumuallетur. Supra portam apponatur inscriptio: *Cœmeterium Mortuorum*, ejusdemque clavis penès Parochum servetur. A' parte interiori vas aquæ lustralis retineatur. Arbores, vites, vepres, aut alia hujusmodi, si quæ sint, indè evellantur, ac igni tradantur, nec ibidem animalium accessus, frugum trituratio, aut pannorum expansio ad exiccandum permittatur. Erigatur in medio columna cum Cruce ferrea, seu lignea superposita, & si fieri possit, etiam Ædicula, seu Cappella. Ad expensas pro Cœmeterii constructione, vel reparatione tenentur Parochiani, non Parochus, etiamsi dives, ratione communis Populi utilitatis [29].

[26] *Cap.* Præcipiendũ 13. *quæst.* 2. S. *Cong. Episc. in Interamnen.* 13. *Septembr.* 1593. *& alibi apud Petram loc. cit. tom.* 1. *pag.* 192. *n.* 12.

[27] *Sacr. Congr. Episc. in Veneta* 22. *Maji* 1596. *& in aliis apud Raynald. tom.* 1. *observ. ad cap.* 1. §. 8. *supplet.* 4. *n.* 1. *& seqq.*

[28] *Eadem Sac. Cong. in Mantuana* 13. *Octob.* 1579

[29] *Sperell. decis.* 68. *n.* 8.

CAP. IV.

CAP. IV.

De Usuris, & Contractibus illicitis.

I. USura Divino, humanoque Jure proscripta rerum naturæ exosa, ipsisque Usurariis perniciosa, proprias eorum substantias insaturabili ingluvie deglutiente, in mutui Contractu regulariter committitur, lucrum exigendo, ultra sortem mutuatæ pecuniæ, non intervenientibus notissimis requisitis Pauli de Castro [1]. Potest tamen aliis quoque Contractibus commisceri, cùm in quolibet Contractu considerari possit mutuum, saltèm fictum, & palliatum; unde etiam in Contractu emptionis, & venditionis cadere potest usura, si in eo concurrat cum modicitate pretii, etiam pactum de retrovendendo.

[1] *In l.3.§.final. ff.De eo, quod certo loco.*

II. Quoniam verò prolixè nimis ageremus de unoquoque particulari casu, in quo usuraria labes Contractibus intermisceri solet, Parochos, & Confessarios in Domino monemus, ut sanam doctrinam super hujusmodi re à probatis fontibus haurientes, eamdem suis subditis paternè exponant, licitos Contractus ab illicitis segregare edoceant; Pœnis tam spiritualibus, quàm temporalibus contra transgressores taxatis opportunè propositis, à tam gravi noxa incurrenda absterreant. Si quos eà publicè inquinatos deprehendant, utpote membra ab Ecclesiæ corpore abscissa, à Sacramentorum susceptione, Missæ ministerio, ac assistentia, atque ab Ecclesiastica Sepultura excludant, nisi re ipsâ satisfecerint Parti interesse passæ, vel de satisfaciendo pignoribus datis, aut aliàs idoneè caverint, vel saltèm id præstandi propositum præseferant: Pro absentibus cautio prædicta

dicta ab Ordinario, seu Parocho recipiatur [2].

III. Praeterea Usurarii, ultra censuras praedictas, Juris infamiâ, poenisque pecuniariis, & corporis etiam afflictivis plectentur, neque excusari poterunt versione foenoris in pium opus, neque à libero Partis consensu, aut consuetudine; non etenim facienda sunt mala, ut eveniant bona, neque Partis consensus, aut consuetudo licita reddere potest, quae de Jure sunt prohibita.

IV. Notarii, seu Tabelliones quicumque caveant usurarios Contractus manifestos, seu palliatos rogare, aut hujusmodi stipulationibus interesse, memores Juramenti, quo in eorum creatione obstringi solent, nè poenis à Sacris Canonibus, & Apostolicis Constitutionibus taxatis, aliisque arbitrio nostro plecti contingat.

V. Si verò quaeratur, apud quem Judicem Causa Usurarum dijudicanda sit, notandum est, dupliciter hoc contingere posse: Primò, cùm quaestio respicit articulum Juris, an scilicet talis Contractus sit Usurarius: Secundò, cùm quaestio sit facti, quandò videlicet constat, Contractum esse Usurarium, & agatur de Usurarum repetitione, quantitate, & similibus. Hoc posito ad dubium propositum Sacra Congregatio Immunitatis 26. Maji 1630. ita respondit: *Quando quaestio Usurarum est Juris, cognitio Causae spectat ad Judicem Ecclesiasticum privativè quoad Judicem Saecularem; Quando verò est facti, datur locus praeventioni.*

VI. Quo autem ad restitutionem Usurarum, si domini sunt certi, ea ipsis facienda est; Si autem sunt incerti, in Foro externo facienda est pauperibus arbitrio Episcopi: In Foro verò interno pauperibus utique ab Usurario, vel ejus haeredibus pro libito eligendis [3].

[2] *Cap.* Quia in omnibus *de Usur.* *cap.* Quamquam *eod. tit. in 6.*

[3] *Cap.* Cum tu *de Usuris.*

CAP. V.

De Damnis datis.

I. COmmuni Reipublicæ bono dupliciter adverſantur damnificantes; & alienos labores inique depopulando, & inter Tribunalia Eccleſiaſtica, & Laicalia jurgia, & controverſias excitando ſuper pertinentia Cauſarum. Quibus quidem malis occurrere, eaque funditus extirpare pro viribus cupientes, Decretis, & declarationibus Sacrarum Congregationum Boni Regiminis, & Immunitatis Eccleſiaſticæ, ſæpiſſimè etiam approbante Sanctiſſimo emanatis, inhærendo; ſtatuimus, & ordinamus, Causas Damnorum datorum per Clericos, & Eccleſiaſticos, ſeu eorum animalia, nec non per familiares, cuſtodes, ſocios, miniſtros, & colonos Menſæ Epiſcopalis etiam Laicos, ſive eorum animalia in Bonis quibuſcumque, cognoſcendas eſſe per Curiam Epiſcopalem privativè, juxta *deciſ.* 8. *num.* 13. *penès Conſtantin. ad Stat. Urb. tom.* 3.

II. Si verò Laici, eorumque Miniſtri, & animalia damnificent Bona Eccleſiarum, & Eccleſiaſticorum, procedat Epiſcopalis Curia tanquam in Cauſis mixti Fori.

III. At quando coloni, laboratores, & alii Laici miniſtri Eccleſiarum, & Clericorum cum propriis animalibus Bona Laicorum damnificant, Cauſas hujuſmodi quoad perſonas, & bona ſpectare ad Judicem Laicum privativè; E contra, ſi cum animalibus Eccleſiaſticorum damnum inferatur; tunc enim Cauſa quoad perſonas, & animalia à Curia Eccleſiaſtica erit decidenda [1].

[1] *Sacr. Congr. Immun. per litteras circulares de mandato Sanctiſſimi dat.* 6. *Julii* 1680. *& per alia Decreta paſſim.*

IV.

IV. Damna autem super Bonis Mensæ Episcopalis illata, cognoscenda erunt per Curiam Episcopalem privativè quoad quoscumque Judices, etiam Consules Agriculturæ, eorum privilegiis non obstantibus [2].

V. Pœnæ tamen, quatenus debeantur, applicandæ semper erunt Communitatibus, earumque Affictuariis, si ad eas spectent titulo oneroso ex concessione Cameræ Apostolicæ vigore Bullæ Sixti V. & Clementis VIII. Secus, ab Ecclesiastica Curia pauperibus, & piis Causis destinandæ erunt [3].

VI. Quæ quidem pœnæ, quacumque inhibitione non obstante, nisi expedita fuerit vigore specialis Commissionis manu Sanctissimi signatæ, utique exigi poterunt à quacumque Persona, etiam Ecclesiastica, & quomodocumque privilegiata, auctoritate tamen Curiæ Episcopalis [4].

VII. Non debentur verò, neque exigi poterunt hujusmodi pœnæ à colonis, custodibus, seu ministris Ecclesiasticorum, & Clericorum tam cælibum, quàm conjugatorum, habentium tamen requisita *Cap. unic. de Cleric. conjug. in 6.*, sed tantùm cogendi erunt ad reparationem damni, seu noxæ, si damna casualiter, non culpabiliter, & studiosè fuerint illata [5].

VIII. Neque subjiciũtur Ecclesiastici quoad Damna data Statutis Communitatum, neque capitulis cum earum Affictuariis initis; sed tantùm Edictis Ordinariorum, quæ Sacra Congregatio Immunitatis publicari mandavit, pœnasque pro damnis studiosè illatis ab Ecclesiasticis, eorumque ministris, in eis taxari, atque servari, prout ejusdem Sacræ Congregationis menti obsequuti Nos fuimus Edicto inferiùs apponendo [6].

[2] *Ead. S. Cong. in Veliterna 17. Julii 1635.*

[3] *Sacr. Congr. Bon. Reg. Vicario Gener. Viterbien. 30. Julii 1678. Sac. Cong. Immun. eidem Vicario 20. Junii 1696.*

[4] *Sac. Cong. Bo. Reg. Episcopo Perusino 14. Decemb. 1680. & Gubernatori ejusd. Civitatis 15. Martii 1681.*

[5] *S. Cong. Immun. in Anagnina 4. Decembr. 1629. & 11. Februar. 1708. & S. Cong. Bon. Reg. eid. Episcopo 18. Octobr. 1603.*

[6] *S. Cong. Immun. apud Ricc. v.* Damna *n. 11. ubi injunxit Episcopo Spoletano publicationem Edicti, prout injunxit Episcop. Anagnin. sub die 16. Julii 1686. ad formam Litter. circular. emanat. 6. Julii 1680.*

IX.

IX. Et in hujusmodi Causis, quæ ut plurimùm pecuniariam pœnam important, regulariter non proceditur criminaliter, neque per viam Inquisitionis, & capturæ, nisi damna sint studiosè illata, aut alia circumstantia, & qualitas aggravans aliter suadeat [7].

X. Non prohibentur Ecclesiastici damna, quæ passi fuerint à Laicis, apud Laicum Judicem denunciare, dummodo tamen Juramentum præstent in Tribunali Ecclesiastico [8].

XI. Absterreant Animarum Ductores paciscentes cum Affictuariis Damnorum datorum super damnis impunè inferendis, cum tantâ temporalium Bonorum, & Animarum jacturâ: In eos etenim ultra reservationem casus, & spirituales pœnas suo loco recensitas, ad damnorum refectionem, pœnam dupli piis operibus arbitrio nostro applicandam, & corporis etiam afflictivas rigorosè procedemus.

[7] *Sac. Conf. Gubernatori Campaneæ 3. Novemb.* 1640.

[8] *Sacr. Congr. Episc. apud Nicol. flosc. v.* Clericus *n.* 23.

C A P. VI.

De Foro Ecclesiastico, ejusque Officialibus.

I. Lites in temporalium, & spiritualium Bonorum perniciem, invisibilium inimicorum versutiâ plerumque excitatas, pro posse componere, ac dirimere munus est Pastoralis vigilantiæ, qua obstringimur, Vicario nostro Generali Nobis collaborante. Eas nihilominus, quas avertere non dabitur, qua fieri poterit, celeritate decidere, Partiumque paci, ac quieti consulere satagemus.

II. Ut autem ab Episcopali Curia omnis avaritiæ, aut cupiditatis suspicio procul arceatur, statuimus, & decernimus Innocentianam, & Cancellariæ nostræ taxas, hucusque servatas, in posterum etiam

inconcusſè ſervari, quas proinde in loco patenti, & conſpicuo pro omnium indemnitate retineri volumus, & mandamus: Ita tamen, ut emolumenta in eiſdem præſcripta à Foraneis Curiis, ejuſque Officialibus, non niſi pro medietate proportionabiliter exigantur.

III. Nè pauperes, & miſerabiles perſonæ indefenſæ ſuo Jure fraudentur, aut collitigantium potentia opprimantur, aderit eis Advocatus, & Procurator, qui eorum patrocinia gratìs pro Deo aſſumere non detrectabunt.

IV. Diœceſanorum etiam diſpendiis, & incommodis occurrentes, nè pro levibus Cauſis ad Civitatem accedere compellantur, Vicariis Foraneis facultatem elargimur cognoſcendi, & decidendi Cauſas, ſummam ſcutorum trium non excedentes; & pro majori etiam ſumma ſimilem facultatem particularibus reſcriptis indulgere requiſiti non recuſabimus.

V. Cancellarius Epiſcopalis, qui publicus Notarius probitate, ac peritia commendatus, eſt aſſumendus, juratam obligationem emittere tenebitur in principio ſui officii de fideliter, ac diligenter exercendo, ſecreta Cauſarum, maximè Sancti Officii, ac Criminalium nemini patefaciendo, taxas ſervando, nec quidquam ultra ipſas etiam à ſponte dantibus exigendo; ſed quidquid receperit in fine Proceſſus adnotando, addito die ſolutionis; librorum omnium, ac Scripturarum, quas, inventario confecto, receperit, & deinde exaratæ fuerint, quandocumque rationem reddendo, neque originales Proceſſus alicui accommodando ſinè noſtra, vel Vicarii noſtri licentia.

VI. Baroncellus etiam, aliique lictores, atque Executores non admittantur, niſi data cautione de

ſtando

ſtando Sindicatui, iſque inter ipſos, qui Carcerum Cuſtodiæ præeſt, Carceratorum ſecuritati, utque ipſis neceſſaria ad victum, ac ſuo tempore Sacramenta non deſint, diligenter invigilabit, Nobis, ſeu Vicario noſtro, cùm opus fuerit, certioratis. Mulieres à viris ſeparatæ retineantur, nec muneribus allici ſe ſinant, debitis ſibi emolumentis contenti, ad formam taxæ ſub pœnis expreſſis in reformatione s. m. Pauli V. titulo de Baroncellis, aliiſque arbitrio noſtro.

VII. Ab executionibus realibus, ſeu perſonalibus abſtineant abſque prævio mandato, exceptis caſibus Reorum in fragranti deprehenſorum, neque civilia mandata, niſi ſuſpicionis fugæ, de nocte, ſeu diebus in honorem Dei feriatis exequi audeant, minùſque publicatis Feriis Natalitiis D. N. Jeſu Chriſti, non obſtante *Exequatur in diebus Feſtivis, & de nocte*, ob ſpeciale hujuſmodi feriarum, ac Dominicalium privilegium [1]. Item neque mandata realia, ſeu perſonalia, etiam manu regia relaxata pro Cameralibus oneribus, contra Eccleſiaſticos, niſi noſtra, vel Vicarii Generalis, & reſpectivè Foraneorum fuerint ſubſcriptione firmata, ſub pœna nullitatis in ſingulis præcitatis caſibus incurrenda [2].

[1] *S. Cong. Bon. Reg. Gubernatori Caſſiæ 2. Decemb. 1690. & ex declaratione A.C. apud Setã d: off. locumt. in tit.* Proviſioni, e lettere &c. *n.* 13.

[2] S. *Cong. Bon. Reg. Epiſcopo Anagnin. ad inſtantiã Communit. Carpineti 5. Julii 1710 &* S. *Cong. Immun. apud Ricc. v.* Executio *n. 4. & ſeqq. & v.* Mandatum *n. 2.*

VIII. Oſtia domorum non frangant pro civili executione, niſi mandatum contineat clauſulam: *Aperiatur per vim*: Carceratos tametſi pro criminali Cauſa verberare, aut aliàs percutere abſtineant, niſi reſiſtentes, ſervato tamen moderamine inculpatæ tutelæ. Res apud Carceratos repertas, conſignent ſtatim Cancellariæ Epiſcopali: Pignora verò pro civili executione capta publico Depoſitario, qui à tergo mandati reproducendi in Cancellaria unà cum relatione executionis fidem faciat de receptis

 pigno-

pignoribus; nec ultra diem ad summum eadem pignora Executores apud se retinere præsumant juxta præscriptum dictæ Paulinæ Reformationis (3).

(3) *Tit. de Baroncell.* §. Capta autem.

IX. Cursores quoque, seu Mandatarii Curiæ nostræ in citationibus, relationibus, seu executionibus peragendis, diligenter, fideliterque se gerant; aliàs officio privandos, & gravioribus etiam pro transgressionis qualitate pœnis plectendos esse se sciant (4).

(4) *Ex ead. reformat.* §. 21. n. 1. *& seqq.*

X. Viatica, vulgò Cavalcatæ non exigantur à Cancellariis, Baroncellis, aut aliis nostræ Curiæ Ministris ad loca Diœcesis pro conficiendis Processibus transmissis; aliàs ad restitutionem teneri volumus, toleratâ tantùm honestâ, & moderatâ exactione expensarum pro cibariis, & vecturis equorum, in casibus, in quibus acquirantur indicia sufficientia pro transmissione Monitorii, seu Inquisitionis contra prætensos delinquentes [5].

[5] S. *Cong. Episc. in Spoletana Vicar. Apostolic.* 7. *Julii* 1689. *& in aliis apud Raynald. tom* 3. *obser. cap.* 32. §. 4. *&* 5. *n* 303. *& tom.* 4. *supplet. ad cap.* 32. *supplet.* 4. *à n.* 1. *& seqq.*

XI. Vicarii Foranei officium non modicæ æstimationis dignoscitur, & tanquam Officialis Episcopi, honore, & obedientia est prosequendus; is enim in locis Diœcesis vices nostras supplet, nè Diœcesani pro levioribus Nos adire graventur. Habet suum Cancellarium, ut mox dicemus, Fori privilegio gaudentem; advigilat potissimùm Disciplinæ Cleri, moribus Populi, rectæ administrationi, ac revisioni computorum locorum Piorum, observantiæ Festorum, & Jejuniorum, adimplemento onerum Missarum; dispensatque in esu ciborum vetitorum, præviâ fide Medici, & in exercitio servilium Festis diebus cum causa legitima. Decreta tamen interponere prohibetur in contractibus Minorum, & Mulierum, nisi de speciali facultate, causâ cognitâ, & minutâ Instrumenti conficiendi transmissâ, à Nobis concedendâ, sub pœna nullitatis contractus.

XII.

XII. Præcedit in Conferentiis casuum Conscientiæ, quibus præest, non tamen in aliis functionibus Ecclesiasticis, contraria consuetudine non suffragante, nisi immemorabilis dignoscatur.

XIII. In Causis Criminalibus levibus sumat informationes, & transmittat. In gravibus autem statim formet corpus delicti, nè probationes depereant, & certioret. Pœnas à violatoribus Festorum exactas, dempta tertia parte sibi, & executoribus applicanda, penès Depositarium dimittat, in pias causas arbitrio nostro erogandas (*6*).

XIV. Clerici, aliique Ecclesiastici coram Judicibus Laicis actionem criminalem non instituant, neque querelas exponant absque permissione nostra gratìs concedenda, prævia protestatione *Cap. Prælatis de homicid. in 6.*, ut supra dictum est, etiam in Causis, in quibus pœna sanguinis non irrogatur. Neque in Civilibus Juramentum præstent, aut examen subeant, eadem licentia destituti [7].

XV. Cùm pœnæ pecuniariæ, seu mulctæ, Cameræ Episcopali, Ministris Curiæ in usum Palatii, aut aliorum ædificiorum Mensæ Episcopalis, Carcerum, imò in beneficium Cathedralis, absque beneplacito Sacræ Congregationis applicari nequeant, sed integre erogari debēt in usum pauperum, & locorum Piorum, cæteris paribus, de pauperibus, & piis Causis, loci commissi delicti ratio habeatur (8).

XVI. Ad derimendas controversias quandoque oriri consuetas super privilegio Fori Episcopalis privativè quoad Laicalem, tenendum est eo gaudere, tam de Jure juxta Sacrorum Canonum dispositionem, Sacri Concilii Tridentini Decreta, & Sacrarum Congregationum resolutiones, quàm de nostræ Curiæ consuetudine Officiales, Familiares, ac Ministros

Tri-

(6) *Sac. Congreg. Episcopo Theanen. 5. Februar. 1591.*

[7] *Sac. Congreg. Episc. apud Nicol. flosc. v.* Clericus *n. 35. ubi tradit formulam dictæ licentiæ.*

(8) *C. Presbyteri de pœn. Trident. cap. 1. sess. 6. cap. 1. sess. 23. & cap. 3. Sess. 25. de refor. Sac. Cong. Episc. in Venusina 21. Novembr. 1600.*

Tribunalis noſtri, Factorem, ut vocant, ſeu ruſticorum negotiorum geſtorem, colonos Menſæ Epiſcopalis cum tota eorum familia, ſolitis requiſitis ſuffultos, nec non famulos Vicarii Generalis (9).

XVII. Item gaudet Cancellarius Epiſcopalis, ejuſque filii, & ſubſtitutus, non tamen filii Cancellarii Foranei, licet ipſe gaudeat (10). Item Procurator Fiſci Epiſcopalis, & ejus Uxor (11), Advocatus, & Procurator pauperum, tametſi Laici (12), Depoſitarius pignorum, nec non mulctarum, & pœnarum Curiæ Epiſcopalis (13), Curſores, ſeu Mandatarii Curiæ [14] Epiſcopalis, & Foranearum; qui tamen, ſi etiam Laicali Curiæ inſerviant, & in eorum officio reſpectu ejuſdem Laicalis Curiæ delinquant, ſubduntur in hac parte Judici Laico, & ab eo poſſunt puniri [15].

XVIII. Potiuntur etiam enunciato privilegio Filii legitimi, & naturales Clerici, tam ante, quàm poſt Clericatum ſuſcepti, durante tamen vita Patris; nec non ejuſdem Clerici Uxor coſtante matrimonio; non tamen Clerici bigami, niſi Apoſtolica auctoritate diſpenſati (16).

XIX. Item Campanarius [17], nec non Clerici Conjugati habentes requiſita *Cap. Unic. de Cleric. Conjugat. in 6.*, eorumque Uxores coſtante matrimonio (18), etiamſi dicti Clerici Conjugati paupertatis causâ agriculturam, aut aliud licitum opus, non tamen ſordidum, exerceant, dummodo Feſtis saltèm diebus in habitu, & tonſura incedant, & Eccleſiis inſerviant (19).

XX. Item Pueri inſervientes Cathedrali, & Collegiatæ Eccleſiæ in ſacris functionibus, & reliquis earum indigentiis, nec non aliis Eccleſiis, quatenus ſtipendio interveniente ipſis actu inſerviant; Famuli,

& Co-

(9) *Vid. relat. à Pignatell. tom.2. conſul.51.n.12.& per tot.*

(10) *Sac. Congr. Immun. apud Ricc. v.* Notarius *n.1. & 2.*

(11) *Eadem Sac. Cong. apud eumdè v.* Uxor *n.12.*

(12) *Eadem in una Sancti Severini 2. Octobris 1703.*

(13) *Eadem apud Ricc. v.* Depoſitarius *& v.* Privilegium *n 4.*

(14) *Ibid. v.*Curſor,*& v.*Balivus.

[15] *Eadem in Foroſempron. 23. Septembr. 1653. apud Ricc. ubi ſupra v.* Judex Laicus *n.7.*

(16) *Eadem Sac. Cong. Immun. in Faventin.6. Maji 1710.*

(17) *Eadem apud Baruſ. reſol.145. n.20.*

(18) *Eadem apud Ricc. v.* Uxor *n.5. & ſeqq.*

(19) *Ibidem v.* Clericus quoad forum, *& alibi paſſim.*

& Coquus Seminarii, Sacristæ, seu Custodes Ecclesiarum, etiam ruralium. Eremitæ habentes qualitates suo loco insinuatas. Hospitalarii degentes intrà septa Hospitalis, & versantes circa frequens ministerium [20]; famuli, seu Factores Monialium, seu Religiosorum, etiam extra Clausuram degentes, dummodo necessario Conventus, seu Monasterii servitio addicti, ejus expensis vivant, ita decidente Sacra Congregatione Immunitatis favore famuli Monialium, & famuli Minorum Conventualium hujus Civitatis contra Curiam Laicalem sub die 26. Junuarii 1712. [21].

XXII. Item Priores, Officiales, & Confratres Sodalitatum, aliique Ministri locorum Piorum, pro negotiis tamen eorumdem locorum dumtaxat, non pro suis particularibus [22]. Denique pro solamine pauperum, & miserabilium Personarum, videlicet Pupillorum, Virginum, Viduarum, seu Viros inutiles habentium, noverint se potiri privilegio electionis Fori, non tantùm de loco ad locum, verùm etiam de Tribunali ad Tribunal, itaut liberum eis sit etiam suos debitores in Curia Ecclesiastica convenire [23], attenta potissimùm antiquissima, ac immemorabili consuetudine hujus Curiæ Anagninæ à nostris Prædecessoribus comprobata, atque inconcussè observata, ut constat ex actis Cancellariæ, & Archivi Episcopalis [24].

XXIII. Mandatarii, lictores, atque Executores Tribunalis Sæcularis cogi possunt sub Excommunicationis pœna inservire Curiis Ecclesiasticis, etiam non requisitis Laicis Judicibus, qui detrectare non possunt [25]. Quòd si contingat fieri executiones per lictores Curiæ Laicalis vigore mandatorum nostri Tribunalis, seu Foranei, debetur illis merces juxta ta-

(20) *Ibidem v.* Hospitalarius, & v. Sacrista.

[21] *Ibidem v.* Factor *n.1.*

[22] *Ibidem V.* Confraternitas *n.1.*

[23] *Ibidem V.* Paupertas *n.1.*

[24] *Regest. litt. B. pag. 185. litt. E. pag. 133. & seqq. litt. R. pag. 38. & pag. 42. litt. S. pag. 47. 66. cum seqq. & litt. X. pag. 120. 125. cum seqq. Sac. Congr. Episc. 3. Februar. 1673. Sac. Congr. Immunit. in Ferētina 8. Augusti & 11. Decemb. 1679.*

[25] *Ead. Sacr. Cong. Immunit. in Vercellen. 30. Junii 1632. & in Maceraten. 2. Septembr. 1644. & aliàs pluries.*

taxam nostræ Curiæ. E contra si Executores nostri Laicalia mandata exequantur, juxta Laicalem taxam mercedem consequi debent [26].

XXIII. In domibus Ecclesiasticorum communiter ab ipsis cum Laicis inhabitatis, non permittantur perquisitiones; neque executiones, vigore quorumcumque mandatorum Laicalium Judicum, etiamsi contra Laicos insimul cohabitantes, absque nostra, vel Vicarii nostri licentia, gratìs danda [27].

XXIV. Clerici tametsi Conjugati servantes requisita *Cap. Unic. de Cleric. Conjug. in 6.* eorumque Bona subjici nequeunt Represaliis pro debitis Communitatis absque incursu Censurarum. Eodemque exemptionis privilegio potiuntur familiares Episcopi, ejusque Officiales actu inservientes [28].

XXV. De cætero Jurisperitos, & Causidicos omnes, & singulos, qui in Foro Ecclesiastico Causas patrocinantur, enixè in Domino hortamur, ut Reipublicæ tranquillitati, miserabilium indemnitati, propriæque conscientiæ securitati potissimùm consulentes, studeant litium celeri expeditioni, easque non introducant, nisi noverint Partes fovere bonum Jus. Ab introductis agnito malo Jure, resiliant, & in dubiis pro concordia consulant. Caveant à pactis de quota litis, aliisque Contractibus cum Clientibus à Jure reprobatis.

XXVI. Quoad dies Juridicos, & feriatos servetur Tabella de mandato nostro impressa, & in Cancellaria exposita, reservato Nobis Jure procedendi, etiam feriatis diebus, in Causis, quæ nostro, vel Vicarii Generalis arbitrio dilationem non patiuntur, sed celere remedium expostulant.

[26] *Ita sæpe rescripsit Sac. Cong. Episc. & signanter Episcopo Auximano 1. Decembr.* 1684.

[27] *Sac. Congr. Immunit. in Urbanien. 9. Junii* 1637. *&* *apud Ricc. v.* Episcopus quoad Clericos *n.* 13. *& v.* Executio *n.* 3. *& in Alessanen.* 30 *Octobr.* 1609.

[28] *Eadem in Augu.* 23. *Martii* 1706. *& in aliis apud Ricc. v.* Represaliæ.

CAP.

C A P. VII.

De Examinatoribus Synodalibus, & Concursibus ad Parochiales.

I. ECclesiarum profectui, & Animarum saluti, atque incolumitati plurimùm refert, ut ad Parochialium regimen, & ad Pastoralis nostræ solicitudinis levamen idonei collaboratores assumantur. Hinc juremerito decrevere sapientissimi Patres Tridenti in Spiritu Sancto congregati, ut ad Parochos maturè eligendos coram Episcopo, sive ejus Generali Vicario, non autem aliâ Personâ, tametsi specialiter delegatâ, die, & loco ad hoc per prævium Edictum destinato, habeatur Concursus Candidatorum, in quo adhibitis tribus saltèm Examinatoribus, in Diœcesana Synodo deputatis, de eorum ætate, moribus, doctrina, prudentia, aliisque ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis, sedula discussione facta, renuncientur quotquot idoneitate sufficienter muniti reperti fuerint, ex quibus ab Episcopo, vel Vicario, qui præ cæteris magis idoneus in Domino judicatus fuerit, eligatur, eique, & non alteri à legitimo Collatore Ecclesia [1] concedatur.

[1] *Trid. Sess. 24 cap. 18. de refor.*

II. Examinatores prædicti viginti ad summum, ad minus sex, in Synodo eligantur de Clero Sæculari, vel Regulari, etiam Mendicantium, sub nomine tamen, & cognomine propriæ Personæ, non officii, vel dignitatis, & nominatim, non in genere Clero, & Synodo proponantur. Et præeligendi erunt Magistri, Doctores, seu Licentiati in Theologia, & Jure Canonico, si extent; alioquin, qui ad

id muneris aptiores videbuntur (2).

III. Eorum officium usque ad novam Synodalem electionem perseverat, qui si morte, vel alia ratione interveniente deficiant, itaut tres saltèm non supersint, Episcopus intrà annum potest alios cum approbatione, seu consensu Capituli usque ad futuram Synodum subrogare: Si verò intrà annum providere omittat, facultate prædicta ampliùs uti non poterit, sed à Sacra Congregatione Concilii, vel Episcoporum, & Regularium erit impetranda, dummodo semper superstites Examinatores adhibeantur [3].

IV. Electi ut supra Examinatores jurare debent *ad Sancta Dei Euangelia* in manibus Episcopi, etiam post, & extra Synodum, tutiùs tamen in Synodo, si præsentes adsint, de eorum officio fideliter, ac quacumque humana affectione postposita exercendo, & examen subeuntibus, de proponendis dubiis non præmonendis, nè Concursus nullus evadat. De Juramento hujusmodi per publicum actum constare debet. Et ad omnem suspicionem eliminandam Examinatores consanguinei Concurrentium, aut aliàs ipsis attinentes, Concursui intervenire non debent.

V. Vota Examinatorum collegialiter congregatorum statim post Concursum exquirantur, & colligantur sive secretò, sive palàm juxta locorum usum; expedit tamen, ut inter sese vota conferant, & Notarius approbatos in scriptis referat, pensatis, ut supra diximus, ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis circumstantiis; Quamvis, si tantùm referant quoad litteraturam, Episcopus possit digniorem præeligere perpensis aliis requisitis [4].

VI. Tenentur autem Examinatores approbare, vel reprobare, majori parte votorum, videlicet uno saltèm supra medietatem, excedente. Quòd si votorum pa-

[2] *Sac. Congreg. Conc in Sipontina Concursus 14 Februar. 1693.*

[3] *Sac. Congreg. Conc. apud Nicol. flosc. v.* Examen *n. 1.*

[4] *Juxta sensum Sac. Congr. Conc. in Foroliviein. 19. Julii, & 20. Septembr. 1692.*

paritas accidat, Examinatoribus in pari numero intervenientibus, tunc Episcopus, seu Vicarius, qui examini præsidet, quique cæteroqui votare non debet, neque votum habet decisivum, habebit eo casu adhæsivum, seu præponderans ad approbationem, seu reprobationem concludendam, quæ quidem adhæsio in eodem actu collegialiter, & non aliàs intervenire debet [5].

VII. Abstineat, qui non est Examinator Synodalis, in Concursibus ad Parochiales à præstatione suffragii, nè vitietur actus, & devolutio fiat ad Sedem Apostolicam, licèt honoris gratiâ ad interrogandum possit admitti [6]. Quòd si prælectus acceptare nolit, aut nequeat, novus Concursus est indicendus, non verò præeligi alter ex prioribus concurrentibus [7].

VIII. Ad Concursum admitti debet, si petat etiam possidens aliud Beneficium Curatum, aliàs, si rejiceretur, Concursus non esset legitimus, primoque Beneficio vacante per adeptam possessionem alterius Curati, poterit Episcopus iterum Edicta publicare pro novo Concursu, nisi prima vacatio accidisset in mense Apostolico, vel aliter Sanctæ Sedi esset reservata; tunc enim primum Beneficium vacaret juxta Decretum apud Sanctam Sedem, ejusque Concursus indicendus esset ex facultate speciali Eminentissimi Prodatarii, & acta ad eumdem transmittenda (8).

IX. Vitiaretur etiam Concursus, si non vocarentur, neque admitterentur exteri, seu alienigenæ, nisi speciale intercederet privilegium, nè Beneficia exteris conferantur [9]. Item si non admitteretur ad examen comparens transacto termino Edicti, re tamen integra, & non dum cœpto examine, etiam

[5] *Vid. Card. de Luca in adnot. ad Sac. Conc. disc. 38. n. 8. & 9.*

[6] *Sac. Congreg. apud Nicol. flosc. v.* Concursus §. Sacra Congregatio.

[7] *Ibidem* §. Si approbatus & §. Si in Concursu.

[8] *Ibidem* §. Ad Concursum.

[9] *Ibidem verfic.* Si non vocentur.

eo non docente de impedimento, ſeu contradicentibus, qui intrà terminum comparuiſſent ad faciendum ſe deſcribere, & exhibendum requiſita; Poſſetque excluſus etiam appellare [10].

[10] *Vid. Barboſ. de Parochis cap. 2 n. 44. & ſeqq.*

X. Si ad Concurſum unus tantùm accedat, debet ille examinari [11]: Si verò alii conſcripti, fuerint legitimè impediti, debet Concurſus prorogari ad tempus brevius, ſeu longius decem dierum, dummodo prorogatio, decendium non excedens, publicetur; aliàs enim Concurſus nulliter celebraretur (12).

[11] *Sac. Congr. apud Nicol. verb.* Concurſus §. Si Concurſu.

[12] *Ibidem.*

XI. Pro Parochiali de Jurepatronatus Laicorum, aut mixto, ſi unus tantùm præſentetur, non requiritur Concurſus; ſed ſufficit approbatio Epiſcopi prævio examine per Synodales Examinatores, & non alios faciendo, ut (13) valida ſit Inſtitutio. Si verò plures præſententur, inter ipſos neceſſaria erit forma Examinis per Concurſum [14]; Sicuti etiam pro Parochiali de Jurepatronatus Eccleſiaſtico, maximè ſi vacaverit in Curia, vel menſe Sedi Apoſtolicæ reſervato; Et eo caſu, Concurſu peracto, Ordinarius cum teſtimonialibus idoneitatis, Papæ, ſeu Datariæ præſentat [15] Inſtituendum. Pro Parochialibus, Regularibus conferri ſolitis, forma Concurſus non requiritur; ſed ſufficit examen juxta Tridentini præſcriptum [16].

[13] *Vid. Card. de Luc. ad Concil. diſc. 32. n. 28. & ſeqq.*

[14] *Sac. Congr. Conc. in Vercell. 21. Martii 1643.*

[15] *Rot. dec. 80. & 102. coram Ubago, & 576. n. 23. p. 18. tom. 2. recent.*

[16] Seſſ. 25. *cap. 11. de Regular.*

XII. Terminus ad habendum Concurſum ad Parochiales, quarum collatio ſpectat ad Sedem Apoſtolicam, ſive ad alios inferiores, eſt quatuor menſium, & proviſio debet fieri juxta Conſtitutionem 33. Sancti Pii V. Sex verò menſium pro conferendis ab Ordinario à die ſcientiæ vacationis, non ab ipſa vacatione computandorum, quo elapſo proviſio ſpectat ad Sanctam Sedem [17].

[17] *Vid. Nicol. floſc. verb.* Beneficium *n. 3. & 4. & Petram ad Conſt. Apoſt. tom. 1. pag. 473. n. 50.*

Si

XIII. Si verò Episcopo datus esset Vicarius Apostolicus, ad ipsum, non ad Episcopum pertinet indicere Concursum, sicuti & Synodum, & magis idoneos declarare, cùm Episcopo in tali casu sola potestas Ordinis regulariter relinquatur (18).

[18] *Nicol. verb.* Concursus §. Sed si Vicarius sit Apostolicus, *&* *v.* Vicarius Apostolicus *n.* 23. *&* *seq.*

XIV. Pro examinandis Ordinandis, Confessariis, Prædicatoribus, aut provisis de Beneficiis non Curatis, non tenetur Episcopus adhibere Examinatores Synodales, sed poterit idoneos, quos maluerit, adsciscere (19).

[19] *Gavan. prax. Synod. p. 1. cap. 31 num. 2.*

XV. Denique quoad stipendium, nullum prorsus assignandum est Synodalibus Examinatoribus. Quòd si aliquid, tametsi minimum reciperent, occasione examinis, etiam à sponte dantibus, sive ante ad captandam benevolentiam, sive post ex obligatione antidorali, tam dantes, quàm recipientes, pœnas contra Simoniacos incurrerent, & non nisi dimissis Beneficiis cum inhabilitate ad alia in futurum consequenda, absolutionis gratiam possent promereri.

[20] *Trid. sess. 24. cap. 18. de refor.*

C A P. VIII.

De Rebus Ecclesiæ non alienandis.

I. RES, & Bona quæcumque tam immobilia, quàm mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt, ad Ecclesias, & Pia loca pertinentia, tanquam peccatorum pretium, & pauperum patrimonium, in Christi ærario perpetuò servanda esse suadet recta ratio, eaque proinde alienari, hipothecari, aut aliter distrahi, strictè juremerito prohibentur ab Extravaganti *Ambitiosæ* Pauli II. *de rebus Ecclesiæ non alienan.*, anathematis gladio contra transgressores districto (1).

(1) *Cap.* Nulli liceat *de reb. Eccl. non alienan.*

II.

II. Sub nomine autem Bonorum Ecclesiæ comprehenduntur etiam Jurisdictiones, Census, Jura, sive feudalia, sive emphiteutica, actiones, nomina debitorum, servitutes activæ, nec non passivæ, quatenus super Bonis Ecclesiarum non sunt imponendæ, redditus, emolumenta, obventiones, Decimæ, Primitiæ, Canones, Livelli, Prædia, aliaque Bona ad Montes Pietatis, Hospitalia, Monasteria tam Virorum, quàm Mulierum, aliaque loca Pia pertinentia, vel piis usibus destinata, & sub alienationis vocabulo intelliguntur omnes Contractus, obpignorationes, hypothecæ, & pacta, per quæ Ecclesiæ Dominium directum, vel utile, ususfructus, sive Jus in alterum transfertur (2).

(2) *Rot. decis. 691 num. 4. p. 4. tom. 3. recent. & decis. 105. n. 18. p. 16. & alibi.*

III. Quare tanquam alienationum species prohibentur permutationes, & locationes ultra triennium de Bonis, quæ singulis annis fructificant; nam si unicus tantùm fructus quolibet triennio colligeretur, etiam ad novennium locari possent (3).

(3) *Vid. Gavant. v.* Bona Ecclesiastica *in addit. n. 2 Corrad. dispens. Apost. lib. 9. c. 1. n. 14.*

IV. Item si convertantur in proprios usus ea omnia, quæ ad Ministrorum Dei, & pauperum necessitates levandas fuerunt relicta; Aut si Patroni Ecclesiarum, & Beneficiorum, seu ipsi Benificiati sibi approprient, & usurpent Bona ipsis Ecclesiis, seu Beneficiis addicta: Quo casu ultra Extravagantis pœnas, Patroni Jurispatronatus, Beneficiati Beneficiorum privationem, & ad alia consequenda inhabilitationem incurrerent (4), prout latiùs ex Edicto inferiùs apponendo.

[4] *Trid. de refor. sess. 22. cap. 11. & sess. 25. cap. 2.*

V. Strictiùs alienari prohibentur Domus, seu ædificia Parochorum, & alia prædia Ecclesiis vicina, præsertim in Prælatorum, seu Rectorum legitimos consanguineos, vel affines intrà gradus respectu Matrimonii prohibitos ob fraudis suspicionem, nisi eâdem

dem fraude cessante, & solemnitatibus adhibitis (5).

VI. Si quis autem in prædictis alienationum casibus, etiam ad vitam alicujus faciendarum, validè, & licitè contrahere cupiat, necnon compromissum, seu transactiones inire, nedum inter Laicos, & Ecclesias, verùm etiam inter ipsas Ecclesias, etiamsi de Regularibus sermo sit, necesse erit Apostolicum beneplacitum impetrare, proposita Ecclesiæ utilitate, itaut non à solo damno præservetur Ecclesia, sed lucrum positivum, certum, evidens, & invariabile acquirat, respiciens ipsam Ecclesiam, non tantùm titularem, seu alios (6).

VII. Quod quidem beneplacitum requiritur etiam in renunciationibus, seu repudiationibus hæreditatis licèt quærendæ: nec non in remissione Jurium Ecclesiæ competentium super immobilibus, etiamsi Jura essent conditionalia, & non purificata (7).

VIII. Et non solùm in contractu, sed etiam in distractu, vel ratificatione illius, sive pecunia investienda redacta sit ex venditione rei immobilis, sive mobilis pretiosæ, quæ inter stabilia computatur, & est investienda: Potest enim in emptionibus dari læsio, quæ sufficit, ut sit possibilis (8); neque sinè eodem beneplacito reduci, seu minui possunt annui redditus, seu fructus Census; Posset tamen extincto censu, si alia non adsit utilior occasio reinvestimenti, etiam cum eodem debitore creari novus Census ad minorem fructum (9). Et in his omnibus, & similibus casibus, ut tutiores fiant Contractus favore Ecclesiarum, & Piorum locorum, fraudesque, & collusiones arceantur, recurrendum erit saltèm ad Ordinarium pro licentia gratìs concedenda.

IX. Beneplaciti quoque hujusmodi impetratio omittenda non erit, quando necessaria reputatur alie-

[5] *Sacr. Congr. Episcop. in Parmen. 7. Octobr. 1602.*

[6] *Vid. Petram ad Constit. Apost. tom. 1. pag. 117. n. 147. & seqq.*

[7] *S. Cong. Conc. in Asculana Beneplaciti 14. Febr. 1699.*

[8] *Vid. Rot. dec. 23. p. 17. rec. & alibi.*

(9) *Vid. Ricc. dec. Cur. Archiepisc. Neap. 134. p. 1. & in prax. p. 1. resol. 87.*

alienatio, tanquam à Teſtatore permiſſa, vel ejus etiam præcepto poſitivè ordinata (10).

X. Bona emphiteutica ab antiquo in emphiteuſim concedi ſolita, poterunt iterum abſque novo beneplacito concedi; ſi tamen præcedentes inveſtituræ fuerint ſolemniter factæ (11), & Bona non fuerint iterum ſaltèm per annum Eccleſiæ incorporata, ſinè animo eadem denuo concedendi, quo caſu effecta eſſe dicerentur de menſa Eccleſiæ, & novum beneplacitum pro iterata conceſſione requireretur (12); quemadmodum etiam, ſi pacta, & conventiones priorum contractuum alterarentur, puta, ſi maſculis conceſſa, concederentur fœminis, ſeu ad ulteriores gradus, & generationes, quæ non ultra tertiam regulariter extendi ſolent, nè Eccleſia perpetuò remaneat excluſa [13].

XI. Quòd ſi ſub reſervatione beneplaciti ſtipulentur Contractus, prout plerumque, & quidem licitè fieri ſolet, caveant contrahentes, nè ante obtentum, & executioni demandatum Apoſtolicum aſſenſum, transferant poſſeſſionem rei in contractu deductæ, neque per clauſulam conſtituti; aliàs enim à pœnis Extravagantis non eſſent immunes [14].

XII. Pro alienationibus autem, uti etiam pro locationibus ultra triennium, & conceſſionibus in emphiteuſim Vineolarum, & Prædiolorum valorem 25. aureorum, vel ad ſummum conſideratis pro arbitrio, qualitate Eccleſiæ, & aliis circumſtantiis 40. ſcutorum valorem non excedentium, ſufficit conſenſus, ſeu licentia Epiſcopi etiam pro Regularibus (15). Ita tamen ut tria requiſita copulativè concurrant: Primum, quòd res non ſit vicina Eccleſiæ, ſed longè diſtans, & exigua in ſe, non verò per fraudulentam diviſionem in plures partes diminuta [16].

Secun-

[10] *Juxta diſtinctiones allatas à Rmo Petra tom. 1 pag. 102. n. 43. & ſeqq.*

[11] *Vid. Monacell. p. 1. pag. 130. n. 25. primæ editionis.*

[12] *Rot. coram Coccin. dec. 1254. num. 4. & in rec. deciſ. 1. & 129. p. 16.*

[13] *Rot. coram eod. Coccin. deciſ. 2264. num. 45. & ſeqq.*

[14] *Vid. Pignatell. tom. 6. conſult. 95. n. 29.*

[15] C. Terrulas 12. *quæſt. 2. & quòd requiratur etiam pro Regularibus Sac. Cong. Epiſc. in Tropien. alienationis 11. Januar. 1692.*

(16) *Sac. Congr. Epiſc. Sanctiſſimo approbante, in Parmen. 7. Octob. 1602. relat. à Monacell. tom. 2. tit. 14. formul. 5. n. 3.*

Secundum, quòd non ſit utilis Eccleſiæ; Tertium, quòd concurrat neceſſitas [17]. Et cautius erit, ut alibi diximus, nè fiant Contractus hujuſmodi cum conſanguineis Rectorum Eccleſiarum, ſive adminiſtrationem habentium locorum Piorum.

[17] *Rot. dec. 624. n. 11. p. 1. rec. & paſſim alibi.*

XIII. Et hujuſmodi alienationes, ſeu locationes ſi de ſedis Apoſtolicæ, ſeu Ordinarii licentiâ fiant, eas præcedere debet Edictorum affixio, & oblationes in ſcriptis recipi pro majori piæ Cauſæ utilitate, atque indemnitate, & ita, ut Beneficiati in præjudicium ſucceſſorum, & contra Tridentini prohibitionem de anticipatis ſolutionibus non paciſcantur [18].

[18] *Trid. ſeſſ. 25. cap. 11. de refor.*

XIV. Si verò dubium emergat, an inter oblationes prædictas, deliberatione ſecuta, competat Eccleſiæ Jus adjectionis in diem, ſeu recipiendi oblationem ultra ſextam, regulariter negativè eſt reſpondendum, quotieſcumque primæ oblationes abſque Eccleſiæ læſione honeſtam afferunt utilitatem [19]. Attamen hoc intelligitur, quando Contractus bonâ fide perfectus eſt per Inſtrumenti, ſeu ſcripturæ ſtipulàtionem, & poſſeſſionis adeptionem; aliàs admitteretur nova, & melior oblatio [20].

[19] *Card. de Luc. de regal. diſc. 81.*

[20] *Vid. Monacell. tom. 1. tit. 5. formul. 15. n. 7. & ſeqq. Petram ad Conſtit. Apoſtol. tom. 1. pag. 83. à n. 34. & ſeqq.*

XV. Beneficiati in Eccleſiarum ſuarum Bonis, quæ nedum conſervare, ſed ad pinguiorem etiam, & uberiorem ſtatum redigere tenentur, arbores fructiferas cujuſcumque generis indiſcretè ſuccidere in poſterum non audeant, niſi in ſcriptis licentiam gratìs obtineant ab Ordinario, cujus erit examinare, an licitè concedi poſſit, & concurrant in hujuſmodi caſibus requiſita, vel à Sacra Congregatione facultas ſit obtinenda. Si ſecus egerint, & notabilis ſit inciſio, privationis ſuorum Beneficiorum pœna, & Extravagantis *Ambitioſæ* cenſuris irretiti remanebunt [21].

[21] *Navarr. conſil. 6. & 7. de rebus Eccleſ. non alien.*

XVI. Domus etiam, & ædificia ruinoſa, ſeu de-

 terio-

teriorata ad Ecclesias spectantia instaurari mandamus, sub pœna suspensionis à perceptione fructuum saltèm pro tertia parte, quos in restaurationis prædictæ causam, juxta Sacræ Congregationis sensum, erogabimus [22].

[22] *Sacr. Congr. Episc. in Caputaquen. 1. Decembr. 1587. & in aliis relat. à Crispin. Visit. pastor. p. 2. §. 13. n. 15. & 16.*

DECRETUM

De Synodalibus Constitutionibus servandis.

PRæinsertas Constitutiones, ordinationes, Statuta, atque Decreta, pro bonâ Diœcesis nostræ directione in particularibus primò Congregationibus cum Cathedralis, & Collegiatæ Canonicis, & Parochis deputatis examinata, & discussa, in Synodalibus deinde trinis sessionibus de Cleri Consilio edita, quæ honesta, justa, utilia, & respectivè necessaria, & possibilia dignoscuntur, Sacrisque Canonibus, Tridentino Concilio, ac Apostolicis mandatis conformia; quæque nihilominus Sedis Apostolicæ auctoritati, & Judicio humillimè subjicimus, servari volumus, præcipimus, & mandamus sub pœnis in ipsis contentis. Utque eadem ad usum, & praxim pro felici Animarum Nobis subjectarum regimine deducantur, post illorum impressionem apud se habere, retinere, & sedulâ meditatione revolvere, ac perpendere unusquisque curet. Si quid autem interpretandum, moderandum, aut abolendum occurrat pro casuum, & temporum varietate, Nobis, & Successoribus nostris facultatem absque nova Synodi convocatione reservamus.

Neve

Neve confusio, seu perplexitas in agendis ex præteritis Synodalibus hujus Anagninæ Ecclesiæ Constitutionibus oriatur, præsentes tantùm Sanctiones, & non alias attendendas esse declaramus, nisi quatenus Prædecessorum nostrorum Synodalia, seu alia Decreta in usum hìc expresè revocantur. Datum Anagniæ hac die 27. Junii 1713.

LAUS DEO.

OFFICIALES
IN SYNODO DEPUTATI.

Promotor.

Adm. Rev. D. Dominicus de Donatis Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.

Secretarius.

Adm. R. D. Franciscus Antonius de Petrellis Canonicus Ecclesiæ Cathedralis, & Beneficiatus Sancti Bonifatii in eadem Ecclesia.

Coadjutor ejusdem.

Rev. D. Augustinus Piselli Beneficiatus perpetuus Cappellæ Sanctæ Mariæ Suffragii Terræ Anticuli, & Secretarius Episcopi.

Judices Querelarum, & Excusationum Absentium.

Reverendiss. D. Gregorius Lauri J. U. & Sac. Th.D. Canonicus Pœnitentiarius Cathedralis, Protonotarius Apostolicus, & Vicarius Generalis.

Adm. R. D. Dominicus de Donatis Canonicus Cathedralis.

Adm. R. D. Magnus de Magistris J.U.D. & Canonicus Cathedralis.

Rev. D. Joannes Carolus de Jannutiis Archipresbyter Sancti Andreæ.

Rev.

Rev. D. Carolus Teſtè Archipresbyter Parochialium unitarum S. Pancratii, ac SS. Coſmæ, & Damiani.

Rev. D. Matthæus de Romitis Archipresbyter Parochialium unitarum Sancti Joannis de Duce, & Sancti Benedicti.

Præfecti Diſciplinæ Synodalis, & Scrutinii.

Adm. R. D. Angelus Varreſius Canonicus Antiquior Cathedralis.

Adm. R. D. Marcus Tullius de Federicis Canonicus Cathedralis.

Adm. R. D. Dominicus Cirus Canonicus Cathedralis.

Adm. R. D. Hilarius de Comitibus Canonicus Cathedralis.

Adm. R. D. Felix Antonius de Nicolais Canonicus Cathedralis.

Adm. R. D. Philippus Antonius de Silveſtris Philoſophiæ Doctor, & Canonicus Cathedralis.

Confeſſarii Cleri.

Adm. R. D. Franciſcus Stephanus de Stephanis Canonicus Curatus Cathedralis.

Rev. D. Joannes Carolus de Jannutiis Archipresbyter Parochialis Sancti Andreæ.

Rev. D. Magnus de Olibano Canonicus Eccleſiæ Collegiatæ Sancti Angeli Cuſtodis.

Rev. D. Lauretus de Germettis Canonicus ejuſdem Collegiatæ.

Rev. P. Lector Fr. Hyacinthus Maria delle Colombe Prior Conventus S. Jacobi Ord. Prædicatorum.

Rev.

Rev. P. Baccalaureus Fr. Joseph de Joannellis Prior Conventus Ordinis Eremitarum S. Augustini.

Rev. P. Fr. Joseph Antonius Besagnus Curatus Sancti Angeli Ordinis Min. Conventualium.

Magistri Cæremoniarum:

Adm. R. D. Jacobus Bernardinus de Stephanis Canonicus Cathedralis, & Cappellanus perpetuus Cappellæ Sancti Petri Episcopi existentis in eadem Ecclesiâ Cathedrali.

Adm. R. D. Franciscus de Donatis Canonicus Cathedralis, & Beneficiatus Ecclesiæ Archipresbyteralis Sancti Andreæ.

Coadjutores:

Rev. D. Dominicus Antonius de Petrellis Canonicus Collegiatæ Sancti Angeli Custodis.

Rev. D. Franciscus Maria Ballinus Canonicus ejusdem Collegiatæ.

Rev. D. Marcus Aurelius Stella Beneficiatus Cathedralis.

Rev. D. Joseph Antonius Quadranus Beneficiatus Cathedralis.

Clericus Benedictus Euangelista Mansionarius ejusdem Cathedralis.

Præfecti Hospitiorum:

Adm. R. D. Franciscus Antonius de Comitibus Canonicus Cathedralis.

Adm. R. D. Alexander de Leggis Canonicus Cathedralis.

Adm. R. D. Joannes Baptiſta de Stephanuccis Canonicus Cathedralis.

Adm. R. D. Horatius Rauli Rector Eccleſiæ Collegiatæ Sancti Angeli Cuſtodis.

Rev. D. Franciſcus Puciniſcus Canonicus ejuſdem Collegiatæ.

Oſtiarii.

Rev. D. Stephanus Mirontes Sacerdos.

Subdiaconus Dominicus Antonius Anzellotti.

Clericus Petrus Antonius Dovetus.

Notarii Synodi.

D. Carolus Antonius de Matteis Clericus Conjugatus, Notarius, & Cancellarius Epiſcopalis.

D. Joannes Baptiſta Aſtulphius Clericus Cælebs, & Notarius.

Examinatores Synodales.

Reverendiſs. D. Gregorius Lauri J. U. & Sac. Theol. Doctor, Canonicus Pœnitentiarius Cathedralis, Protonotarius Apoſtolicus, & Vicarius Generalis.

Reverendiſs. D.Hieronymus de Giglis J.U.D. Protonotarius Apoſtolicus, & Præpoſitus Cathedralis.

Adm. R. D. Franciſcus Stephanus de Stephanis Canonicus Curatus Cathedralis.

Adm. R. D. Dominicus de Donatis Canonicus Cathedralis.

Adm.R.D. Dominicus Ambroſii de Thomaſiis J.U.D. Archipresbyter S.Laurentii extra muros hujus Civitatis, & Canonicus Cathedralis.

Adm.

Adm. R. D. Jacobus Bernardinus de Stephanis Canonicus Cathedralis, & Cappellanus perpetuus Sancti Petri in eadem Ecclesia.

Adm. R. D. Franciscus de Donatis Canonicus Cathedralis, & Beneficiatus Ecclesiæ Archipresbyteralis Sancti Andreæ.

Adm. R. D. Felix Antonius de Nicolais Canonicus Cathedralis.

Adm. R. D. Jacobus Camillus Pascuccius S. T. D. Canonicus Cathedralis, & Theologus Episcopi.

Adm. R. D. Philippus Antonius de Silvestris Philosophiæ Doctor, & Canonicus Cathedralis.

Adm. R. D. Alexander de Magistris J. U. & S. T. Doctor, & Canonicus Theologus Cathedralis.

Rev. D. Joannes Carolus de Jannutiis Archipresbyter Sancti Andreæ.

Rev. D. Carolus Testè Archipresbyter Parochialium unitarum S. Pancratii, ac SS. Cosmæ, & Damiani.

Rev. D. Matthæus de Romitis Archipresbyter Parochialium unitarum Sancti Joannis de Duce, & Sancti Benedicti.

Rev. D. Joannes Petrus Cenciarellus Archipresbyter Sancti Pauli.

Rev. D. Joannes Dominicus de Rubeis Archipresbyter Terræ Pillei.

Rev. D. Nicolaus de Justis Archipresbyter Sancti Joannis Euangelistæ oppidi Carpineti.

Rev. D. Marcus Gerardus Archipresbyter Terræ Gurgæ.

Rev. D. Joannes Thomas Consalvus Archipresbyter Terræ Felectini.

Rev. D. Stephanus Sabene Archipresbyter Terræ Acuti.

Rev.

Judices Synodales.

Reverendiſs. D. Gregorius Lauri J. U. & Sac. Theol. Doctor, Canonicus Pœnitentiarius Cathedralis, Protonotarius Apoſtolicus, & Vicarius Generalis.

Reverendiſs. D. Hieronymus de Gigliis J.U.D. Protonotarius Apoſtolicus, & Præpoſitus Cathedralis.

Adm. R. D. Dominicus de Donatis Canonicus Cathedralis.

Adm. R. D. Dominicus Ambroſii de Thomaſiis J.U.D. Archipresbyter Sancti Laurentii extra muros hujus Civitatis, & Canonicus Cathedralis.

Adm. R. D. Felix Antonius de Nicolais Canonicus Cathedralis.

Adm. R. D. Magnus de Magiſtris J. U. D. & Canonicus Cathedralis.

Teſtes Synodales.

Rev. D. Thomas Orlandus Canonicus Collegiatæ Sancti Angeli Cuſtodis.

Rev. D. Marcus Aurelius Stella Beneficiatus Cathedralis.

Rev. D. Joſeph de Hieronymo Beneficiatus ejuſdem Cathedralis.

Rev. D. Dominicus Antonius Puciniſcus Sacerdos.

Rev. D. Franciſcus de Vendettis Sacerdos.

Rev. D. Joſeph Matthiotius Sacerdos.

Clericus Franciſcus Antonius de Gineis Manſionarius Cathedralis.

Punctatores.

Clericus Benedictus Euangelista, Clericus Franciscus Antonius de Gineis.	Mansionarii Cathedralis
Clericus Conjugatus Magnus Plinii	Punctator Collegiatæ Sancti Angeli Custodis.

Consultores Sancti Officii.

Reverendiss. D. Hieronymus de Gigliis J.U.D. Protonotarius Apostolicus, & Præpositus Cathedralis.

Adm. R. D. Dominicus de Donatis Canonicus Cathedralis.

Adm. R. D. Felix Antonius de Nicolais Canonicus Cathedralis.

Adm. R. D. Jacobus Camillus Pascuccius S. Th. D. Canonicus Cathedralis, & Theologus Episcopi.

Adm. R. D. Alexander de Magistris J. U. & Sacræ Theologiæ Doctor, & Canonicus Theologus Cathedralis.

Procuratores Cleri.

Adm. R. D. Petrus Paulus Thomassetti Abbas Sancti Georgii, Protonotarius Apostolicus, & Canonicus Cathedralis.

Adm. R. D. Magnus de Magistris J. U. D. & Canonicus Cathedralis.

Rev. D. Lauretus de Germettis Canonicus Collegiatæ Sancti Angeli Custodis.

Rev. D. Joannes Petrus Cenciarellus Archipresbyter Sancti Pauli.

Rectores Seminarii.

Deputati ab Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Episcopo.

Adm. R. D. Dominicus de Donatis Canonicus Cathedralis.

Adm. R. D. Dominicus Ambrosii de Thomasiis J.U.D. Archipresbyter Sancti Laurentii extra muros Civitatis, & Canonicus Cathedralis.

Deputatus à Capitulo Cathedralis.

Adm. R. D. Franciscus Stephanus de Stephanis Canonicus Curatus Cathedralis.

Deputatus à Clero Civitatis.

Rev. D. Carolus Teſtè Archipresbyter Parochialium unitarum Sancti Pancratii, ac Sanctorum Cosmæ, & Damiani.

Advocati, & Procuratores Pauperum.

Adm. R. D. Dominicus de Donatis Canonicus Cathedralis.

Adm. R. D. Felix Antonius de Nicolais Canonicus Cathedralis.

Adm. R. D. Franciscus Antonius de Petrellis Canonicus Cathedralis, & Beneficiatus Sancti Bonifatii in eadem Ecclesia.

Adm. R. D. Magnus de Magistris J. U. D. & Canonicus Cathedralis.

Revisores Onerum Missarum, & Administratores Locorum Piorum.

Reverendiss. D. Gregorius Lauri J. U. & Sac. Theol. Doctor Canonicus Pœnitentiarius Cathedralis, Protonotarius Apostolicus, & Vicarius Generalis.
Adm. R. D. Franciscus Stephanus de Stephanis Canonicus Curatus Cathedralis.
Adm. R. D. Dominicus Cirus Canonicus Cathedralis.
Adm. R. D. Jacobus Bernardinus de Stephanis Canonicus Cathedralis, & Cappellanus perpetuus Cappellæ Sancti Petri Episcopi in eadem Ecclesia.
Rev. D. Lauretus Germettus Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ S. Angeli Custodis.
Rev. D. Jacobus Jordanus Canonicus ejusdem Collegiatæ.
RR. DD. Vicarii Foranei in locis Diœcesis, & ab ipsis deputandi.

Præfectus Musicæ.

R. D. Marcus Aurelius Stella Cantor, & Beneficiatus Cathedralis.

BRE-

BREVIS AD CLERUM ORATIO

Habita in ultima hujus Synodi Sessione tertia, & ultima die 27. Junii 1713. per Adm. R. D. Alexandrum de Magistris J. U. & Sac. Theologiæ Doctorem, & Canonicum Theologum Ecclesiæ Cathedralis.

LAbor esset pœnitendus Synodum cogere, si quæ à majoribus sancita, posteris perseverarent incorrupta; nostra tamen eò devenit humanitas, ut quamvis nihil omissum, inexpertum nihil in ipsa fuerit Constitutione, legum tamen quasi pondere oppressa, inclinatur adeò Ecclesiastica disciplina, ut ruinæ proxima videatur, nisi per leges reparetur: hinc sanctissima illa Patrum institutio, ut habitis interdum Comitiis, qua defecerit parte disciplina, dignoscatur, nè totum Reipublicæ corpus diffusa sensim vitiorum lues inficiat; ut tamen Illustrissime, ac Reverendissime Antistes, Amplissimi Patres, eodem vos virtutum amore exæstuantes vidi, vobis hodierna luce gratulor, eamdem provinciam peragrasse; novi quidem, vestrum quisque quanto religionis studio ardeat, ut Ecclesiastica hæc Hierarchia morum candore fulgeat in perpetuas æternitates; gratiæ agendæ sunt immortales bonorum omnium largitori Deo, cujus providentiâ in ea degimus Ecclesia, quæ innumeris pietatis stimulis ad debitam nostro Ordini sanctitatem compellit. Sed labor rursus esset pœnitendus post coactam Synodum, postquam Montem Domini conscendimus, Legisque tabulas Dei digito exa-

exaratas accepimus, illas in Sinai descensu per inobservantiam infringere, huc nobis totis viribus est sistendum.

Optimis quidem munimur legibus, sanctissimisque undequaque sanctionibus circumvallamur, irreprehensibiles omnium mores lucerent [1] licèt coram hominibus, ipsisque vos insererent Angelorum Choris; ille tamen, cujus oculi [2] columbarum, & in Angelis suis [3] reperit pravitatem; si enim [4] dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est; quamquam ante mentis obtutus meditatio legis versetur assidua, in multis tamen [5] offendimus omnes: nequitia flumen est, horridâque alluvione totum occupat Orbem, per hujus iratas Maris undas pauci sicco vestigio discurrunt, quot in dies naufragio vidimus periclitari! Vitiorum flumini, etsi legibus ponas aggerem, cursum non vetas, sed vertis; nascuntur novæ semper cupiditates, quibus igne, ferroque quotidie eundum est obviàm: nulla scelere fœcundior Idra, momento etenim renascitur, & auctis veluti fibris, dum avulsa videtur, tenaciùs radicatur; Si super terram [6] militia est vita hominis, pugnandum est quousque prævaleamus, invictam perniciem invicto labore prosequi, arcumque non remittere contra hostem novas, recentesque strages meditantem monemur.

Sancita accepimus Synodalia decreta, sanctissimis undique munimur legibus; sed quid hæc proderunt? Errat quidem, qui à vitii labe se tutum judicat, cùm, acceptâ lege, executioni illam demandare negligit. Si quis [7] auditor est verbi, & non factor, comparatur homini consideranti vultum nativitatis suæ in speculo; consideravit enim se, & abiit, & statim obli-

[1] *Matth. c. 5.*
[2] *Cant. 4.*
[3] *Job cap. 4.*
[4] *1. Joan. c. 1.*
[5] *Ep. Jacob c. 3.*
[6] *Job c. 7.*
[7] *Ep. Jacob c. 1.*

oblitus est, qualis fuerit; adversantes nostri Ordinis candori jam vidimus maculas, in quo abstergi possumus; en fons optimæ disciplinæ undas elargitur illimes, laventur [8] pedes nostri humanarum imperfectionum pulvere sordescentes: Ex lege didicimus, quo pacto reformari debeamus [9] in novitate spiritus, viam nunc [10] mandatorum Domini non reptare pœnarum timore operando, nec ambulare remissè agendo; sed loris currere laxis, amoris tantùm stimulis exagitati satagamus, & dilatabitur cor nostrum, cùm ad bravii [11] comprehensionem perveniemus; idemque iter fidelium plebem calcare religiosæ observantiæ exemplo compellamus.

[8] *Genes. c.18.*

[9] *Ad Rom.c.12.*

[10] *Psal.118.*

[11] *Ad Philip. cap. 3.*

Sed heu deploranda nostrorum temporum conditio! nostrâ nimium culpâ fit, ut leges, quas sancivit auctoritas, aliorum infringat audacia; conditionis nostræ immemores per voluptatum mirteta debacchamur, è legum observantia avellimus plebem! Genus electum [12], gens sancta, regale Sacerdotium si Canonum munimenta prosternit, quid à vulgo expectandum? quid à cæteris, quos propria conditio permittit esse profanos? Si extra Sancta Sanctorum sanctitas exulat, theatra poterit incolere, & plateas? nihil plebis mores adeò corrumpit, quàm auctoritas peccantis.

[12] *1.Petr. c.2.*

Si inter has errorum tenebras aliquando fuimus, nox [13] hæc jam præcessit, bonorum operum dies jam appropinquavit, abjiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die honestè ambulemus; honestè quidem ambulabimus, si per bona opera [14] proximis lucis exempla præferemus; jam Christum induistis, Deique filium pro veste sumimus, & indumento justitiæ illius circumdati, nihil in operibus, nisi Christi Sanctitatem per legum custodiam

[13] *Ad Rom.13.*

[14] *S.Greg.Pap. homil. 13. in Euang.*

stodiam ostendamus. Nos videre, erudiri sit, in car-
[15] 2. *ad Corinth. cap.* 10. nem [15] ambulantes, non secundùm carnem mili-
[16] *Ad Rom. c.* 12 temus, vivamus [16] in hoc sæculo, sed huic sæculo
non conformemur, degentes in terris, ut Tobias in
Ninive, ut Lot in Sodomis, ut Daniel inter Satra-
[17] *Psal.* 4. pas Babilonis. Signavit Dominus [17] super nos
lumen vultus sui, ut malum reprobemus, bonum-
que eligamus; dedit hodierna luce per manus Aaron
mandata, ut toto corde custodiantur: frustrà quis
ostendet nobis bona, exclamabimus; frustrà per vi-
[18] *Cant. c.* 3. cos, & [18] plateas Dominum quæremus, cùm illum
[19] *Apoc.* 3. ad ostium cordis [19] pulsantem audire respuimus;
frustrà animarum quæremus Sponsum, cùm illius
thalamum adire fastidimus.

[20] *Cant.* 3. In lectulo requiremus [20] per noctes quem dili-
[21] *Psal.* 118. git anima nostra, si in [21] mandatis Domini medi-
tabimur; en conformes suavi Christi jugo leges, in
quibus nos oportet exerceri, neve inani vos horro-
re stricta deterreat observantia; nam nihil amanti-
bus difficile, nihil asperum mitibus, nihil humilibus
arduum reperitur, quibus & gratia fert auxilium,
& obediendi devotio lenit imperium. Vox Domini
[22] *Psal.* 94. auribus nostris hodie intonuit: nolite obdurare [22]
[23] *Psalm.* 17. corda vestra; misit jam [23] de summo, ut accipiat
nos; non enim patitur Deus, animam, quam Sangui-
ne redemit, peccatorum vinculis captivam jacere;
[24] *Actor. c.* 12. misit Angelum [24] suum, hunc Cœtum coegit, ut à
catenis nos solvat, non patitur Deus, culparum nos
somno insordescere: surge qui dormis, clamat ad
[25] *Psal.* 117. cor. Aperite [25] ergo portas Justitiæ, date locum
Domino, introducamus in nostri cordis Ægyptum
arcam Dei, & simulacra commovebuntur à facie ejus,
[26] *Isa. cap.* 19. & idola [26] conterentur, cadetque impius volupta-
tum Dagon.

Hæc

Hæc quidem ſperare nos jubet zelus ille, Auditores, quo huc abdicatis hujus temporis curis per tot incommoda conveniſtis, & ad horum retributionem memor erit Dominus gratiam illam elargiendo, quæ, nè in vacuum has leges recipiamus, operabitur; Sed tuo hoc potiſſimùm præſidio nobis promittimus, Beatiſſime MAGNE, è Cœlo, ubi de tua jam emicas felicitate ſecurus, ſed de noſtra adhuc incolumitate ſolicitus, reſpice Vineam hanc Domini Sabaoth, ſupernæ pietatis latices in Clerum tuo patrocinio exultantem effunde, ut legum cuſtodia noſtros ſemper ſit ante oculos, longamque vigilantiſſimo Epiſcopo noſtro annorum ſeriem à Domino impetra, ut vota noſtra diuturnum poſſideant, quem vellent æternum, & Populus tibi ſerviens charitate augeatur.

ACCLAMATIONES.

DEo Optimo Maximo, Vni, ac Trino, cujus Miſericordiæ non eſt numerus, ipſi Gloria, & Imperium per ſæcula æternitatis.

Reſp. Amen. Amen. Amen.

Sanctiſſimis Protectori noſtro Magno; Epiſcopo Petro; Concivibus Secundinæ, Olivæ, atque Andreæ; ac Coadjutricibus Aureliæ, & Neomiſiæ, ſempiterna Laus, Gloria, & Gratiarum actio.

Reſp. Mittant nobis Domine jugiter auxilium de Sancto.

Beatiſſimo D. N. Clementi Papæ XI. univerſalis Eccleſiæ Antiſtiti, Chriſtianæ Religionis propagationem, diuturnam incolumitatem, & pacem.

Reſp. Eſto ei Domine Turris fortitudinis, ut portet nomen tuum uſque ad extremum terræ.

Illustrissimo, & Reverendissimo Episcopo nostro Joanni Baptistæ hujus Sanctæ Synodi Præsidi, ejusque Ministris, vigilantiam in regimine, robur in laboribus, ut sese, nosque omnes dirigant ad portum salutis.

Resp. Deus Omnipotens, Antistitem nostrum benedictionibus tuis refove, ac igne tui amoris inflamma.

Regibus, ac Principibus Christianis veram concordiam, ut arma in veræ Fidei impugnatores convertant.

Resp. Da eis, Domine, quam Mundus dare non potest, pacem.

Civitati, ac Diœcesi Anagninæ, Divinæ Legis custodiam, peccatorum pœnitentiam, paupertatis levamen, tranquillitatem, & pacem.

Resp. Alliga nos Deus Pacis in vinculo charitatis, ut Cœlestis Patriæ Cives esse mereamur. Fiat. Fiat. Fiat. Amen. Amen.

Quibus peractis, ac præmissa renovatione emissionis Fidei per Illustrifs., & Reverendifs. D. Episcopum, DD. Canonicos, Beneficiatos, Parochos, & alios respectivè, ac præstatione Juramenti per Examinatores in Synodo deputatos, ac Punctatores tam Cathedralis, quàm Collegiatæ, cæterisque ad formam Sacri Concilii Tridentini, Pontificalis, & Cæremonialis Romani præscriptis ad unguem servatis, prævia lectura supradictorum Decretorum, seu Constitutionum alta, clara, & intelligibili voce è suggestu facta ab Adm.R.D.Francisco Antonio de Petrellis Canonico Ecclesiæ Cathedralis, & ejusdem Synodi Secretario, nec non à R.D.Augustino Piselli ejus in dicto munere Coadjutore; Nè de præmissis in futurum dubi-

dubitari contingat, nos Notarii infrascripti, instante Adm. R. D. Canonico Dominico de Donatis Synodi Promotore, de omnibus, & singulis requisiti fuimus in solidùm rogare publicum Instrumentum, prout rogavimus, scripsimus, subscripsimus, ac nostris signis signavimus.

Acta fuerunt hæc omnia in Ecclesia Cathedrali Sanctæ Mariæ Anagniæ, præsidente Illustrissimo, & Reverendissimo D. Joanne Baptista Basso ejusdem Ecclesiæ Episcopo, & assistentibus Capitulo Cathedralis, & Collegiatæ Sancti Angeli Custodis, aliisque de Clero Civitatis, & Diœcesis diebus 25. 26. 27. Junii 1713. Indictione 6. Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Papæ Undecimi anno ejus XIII. præsentibus RR. DD. Marco Aurelio Stella, Josepho Quadrano, Josepho de Hieronymo, & Petro de Petris Beneficiatis Cathedralis, ac DD. Benedicto Euangelista, & Francisco Antonio Ginei Mansionariis ejusdem Ecclesiæ, nec non Clericis Marco Antonio Antonello, & Blasio Cenciarello Testibus ad prædicta omnia, & singula specialiter habitis, vocatis, atque rogatis, & aliis; Et cantato exinde *Te Deum laudamus*, tandem Illustrissimus, & Reverendissimus D. Synodum benedixit, & dimisit in pace.

Ita est Carolus Antonius de Matteis de Morolo Anagninæ Diœcesis Notarius publicus, & Cancellarius Episcopalis in solidùm cum infrascripto D. Joanne Baptista Astulphio Anagnino Connotarius rogatus. Et in fidem subscripsi, & publicavi, ac meo signo signavi &c.

Loco ✠ Signi.

Ita est Joannes Baptista Astulphius Civis Anagninus Connotarius cum dicto D. Carolo Antonio de Matteis insolidùm rogatus, & in fidem subscripsi, meoque Notariali signo signavi, & publicavi.

Loco ✠ Signi.

APPENDICE
ALLE COSTITUZIONI
SINODALI.

FORMOLA

Della Professione della Fede.

EGo N. firma Fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet:

Credo in Unum Deum Patrem Omnipotentem, factorem Cæli, & Terræ, visibilium omnium, & invisibilium: Et in Unum Dominum Jesum Christum Filium Dei Unigenitum; Et ex Patre natum ante omnia sæcula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt; Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis; Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est; Et resurrexit tertia die secundùm scripturas; Et ascendit in Cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus regni non erit finis: Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit; Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui loquutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum: Et expecto resurrectionem mortuorum; Et vitam venturi sæculi. Amen.

Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, & Constitutiones firmissimè admitto, & amplector. Item Sacram

